

# ANNALIUM PROVINCIÆ S. JOSEPHI

Ordinis Excalceatorum SSS. TRINITATIS  
Redemptionis captivorum.

## LIBER I. SYNOPSIS.

**P**ost Operis introductionem memoratur Sacrum Fœdus adversus Portam Ottomanicam inter Augustissimum Cæsarem, Serenissimas Poloniarum & Venetiarum Republicas, ex quo tanquam fonte manavit Introductio Ordinis SSS. TRINITATIS Redemptionis captivorum in Poloniā, ac inde Viennam Austriae Hereditariásque Austriae Domū Provincias annutu præsertim & commendatione INNOCENTII XI. Sanctissimi Pontificis, datisque Litteris ad Augustissimum LEOPOLDUM I. Romanorum Imperatorem, & aliorum ad alios. Opus urgent Eminentissimi Cardinales Bonvisius & Kolloniczins, inducti desideriō & utilitate redimendorum captivorum. Suffragatur Celsissimus Princeps Ernestus e Comitibus Trauhson Episcopus Viennensis, cui tamen cœpto multi adversantur. Ope tandem ac industriâ Excellentissimi Comitis Harrachii apud Cæsarem facultas impetratur, Viennæ Austriae construendi Ordinis nostri Templum & cœnobium. Ægrè situs acquiritur, & donatione Cæsar is ampliatur. Demum succincta Urbis Viennensis descriptio subjicitur; & an olim in Polonia, Pannonia & Bohemia Redemptionis Institutum floruerit, brevi Corollariō contra quosdam Scriptores discutitur.

### CAPUT I. Operis Introductio Præliminaris.

**Q**uidam Sanctissimæ TRINITATIS proavorum nostrorum nemo unquam se in patria vidisse gloriarī potuit. Parentes, nati & nepotes post ultimam Viennæ obsidionem eundem ex remotissimis Hispaniarum finibus ab Occidui Solis litorē in Septentrionem usque sub Arctoum Sidus ad novas quærendas Sedes evocatum per maximum Europæ mirati Redemptionem tam luculentam charitatem,

In Poloniā  
evocatus Or-  
do occasio-  
nem præbe-  
Austriae eun-  
dem impla-  
tandi,

A

Or-

Ordinis Institutum sibi suisque utile, nec non corporibus, animisque salutare, ac prorsus necessarium suspexerunt. Id nostri longius sepositis Russis, Sarmatisque hactenùs pià quâdam, sanctaque æmulatione inviderant, donec ejusdem Ordinis Institutum in suum quoque gremium suscepissent. Sic rebus omnibus sua sunt penes occasionem tempora & momenta, nihilque ante maturitatem fuit certum aut firmum; atque illud stabile coalescit, quod suis intervallis accidit opportunum. Cùm verò mihi potissimum hujus Historiæ describendæ provincia injuncta fuerit, aggrediar Ordinis nostri his in terris propagines ad DEI Trini & Unius Gloriam commemorare; atque adeò litteris exequar, qualiter sacra Religio nostra Divini Numinis amabilè Providentiâ sub Augustissimis LEOPOLDO Patre, Filisque JOSEPHO & CAROLO Germanis Fratribus Augustis, Pii, Perpetuis & Felicissimis ex parvis initiis tam latè excreverit, ut ductis per plura loca Coloniis intra annos omnino quadraginta justò cœnobiorum numerò in Provinciam assurrexerit, *Augmenti memoriam S. JOSEPHO CHRISTI Nutrio* dedicatam. Candidâ proinde, quamvis incompta narratione referam, quomodo Trium Augustissimorum Cæsarum ope ac beneficentia, aliorūmque piorum, sive munere, sive adminiculô Austriam primò ingressa, subinde verò in Hungariam, Bohemiam, Transilvaniam & Serviam effusa, Byzantium quoque sive Constantinopolim, ac demùm etiam recentissimo conatu in Moraviam penetraverit. Perstringam pariter decumanos in redimendis captivis exantatos labores, superata molestissimorum itinerum tædia, aliásque res speciatim ad DEI gloriam, animarūmque salutem præclarè gestas, insignium viorum virtutes & merita, ornamenta quædam, varios præterea ac memorabiles eventus integra fide, atque ut veritas est simplicitatis amica, stylō simplici, qui meæ tenuitati competit, & succinctâ methodo exponere conabor.

S. JOSEPHO  
dedicata hac  
Ordinis Pro-  
vincia,

Præsentium  
seporum  
Historia secu-  
tius scribitur.

Ex origine  
libus docu-  
mentis.

II. Hæc Sparta cùm mihi a Superioribus meis, quorum natus ceu tacita quædam Numinis oracula venerari consuevi, demandata fuisset, néque difficilis admodum, nec periculis obnoxia ostendebatur, simul & confessim urgebatur. Arbitror idem ab altioris Consilii mente providè inspiratum, quippe cùm hujusmodi commentaria non ex vetustis lapidibus, nummis, majorum carminibus, aut abstrusis evisceranda monumentis fuerint, sed in propatulo etiamnum, & ut ita loquar, sub luce meridiana versentur, inde factum est, ut eodem ferè tempore, quo nata, sive peracta, etiam litteris commendata sint. Quinimò plerique hominum non admodum proiectæ ætatis circumferuntur memoriâ, quorum alii rerum gestarum testes, alii etiam actorum participes fuerunt. Neque his contentus, nullum non movi lapidem, ut quod munericis mei ratio postulabat, omnia ex ipsis originalibus documentis eruerem, & quæ non satis explorata videbantur, laboriosâ solertiâ investigarem. Ingenuè itaque fateor, atque eodem testor animi candore, me nullatenus paſſurum vel minimam veritati labem aspergi, unde mihi foret erubescendum;

prom-

promptus etiam rectius monenti ejusdem studiō Veritatis cantare palinodiam.

III. Nihil tamen moror, quidquid alii non ita pridem de rebus nostris scriptō evulgaverunt; qui cūm eas perfunditorie dun-taxat attingerent, nec vigili satis curā illis penitus cognoscendis incumberent, in diversas facile, ut fieri afolet, opinione abiverunt. Contra quoscunque professa veritas est mihi scutum: illa eadem est mihi, & posteris Auctoritas: nota siquidem & examinata, compertaque sunt mihi ex officio, quæ referto. Et, absit invidia verbō, ausim afferere, admodūm pauca fuisse, quæ meam extra memoriam acta, vel confecta reperiantur. Itaque: *Nec nos, ut scribit Æneas Silvius, falsa pro veris astruemus, scientes, nibil tam contrarium esse Historiae, quam mendacium; nugas in fabulis, in Historia verum querimus & serium.* Evidem si cor meum inspiciam, mentemque meam penitus scruter, mihi certus sum atque securus omnino, quantum homini datum est præcavere, adversus sanctitatem Historiae, vel conscientię religionem me nihil prorsus peccare voluisse. Qua de causa propitii Numinis ope, & ut in re ipsa sunt, atque per temporum contigere differentias, posteriorum memoriæ consulturus, eadem ab imminentि oblivionis rubigine mihi sumpsi vindicanda, ne subsequens ætas antecessorum culpare jure possit desidiam, aut pro veris veri minus simile intrudere, vel obscuras sequendo conjecturas legitimis destituta documentis audeat quidpiam in contrarium comminisci.

IV. Illum autem, qui exilem hanc lucubratiunculam benigno oculō dignatus, nec humile scriptionis argumentum aspernatus fuerit, majorem in modum rogatum velim, ut præsentes Annales suo favore complectatur; nequit enim fieri, ut Historia etiam domestica sine utilitate aut scribatur, aut legatur, cūm non minus ex ea (quem sibi scopum omnis Historia præfixit) recte vivendi regulæ depromi, prudentia condisci, & ex gestorum diversitate judicium quam limatissimè acui valeat. Multum præterea ad rerum experientiam confert temporum præteriorum cognitio; hæc enim ex variis quandoque eventibus, quid in præsens, vel futurum sit consulendum, quid sestandum, & quid fugiendum demonstrat.

V. Etsi verò non sim nescius, nos in hujus temporis sive genium, sive vitium incidiisse, quô recentium parùm curiosi vetera tantummodo admirari solemus, & audita visis præferre, hæc namque invidiae & obtrœctionibus obnoxia sunt, illa etiam quandoque cæca veneratione prosequimur: Scio tamen, neminem ad fastigium eruditionis ascensurum, qui novarum rerum cognitio-nem negligit; præstantius autem, & ad meum propositum altius erexit cogitationes suas Cladius Minos, dum in Alciatum scribens ait:

*Nam si tam Gracis novitas invisa fuisse  
Quam nobis, quid nunc esset vetus, aut quid haberet,  
Quod legeret, tereretque viritim publicus usus?*

Obiter alii da  
nostris rebus  
scripserunt.

Silvius in  
prefat. Historie  
rerum ubique gesla-  
rum.

Præsentia  
scribuntur, ut  
posteri certa  
habeant do-  
cumenta.

Utilitas Hi-  
storiarum.

Nova negli-  
gere temporis  
est vitium.

Claudius Mi-  
nos. pag. 805.

Numinis invocatio.

Ergo narrationem auspicaturus præprimis Divini Numinis præsentiam mihi supplex deposito: Det igitur fons omnis Boni Deus ad devotam Scriptoris mentem pias cogitationes, ad labores alacritatem & industriam, ac in finem usque studium diligens. Pater luminum ad candorem animi stylum moderare, ut Superis honor. decus Patriæ, amicis hostimentum, benefactoribus gratitudo, & Superiorum mandatis debitum a me præstetur obsequium.

## C A P U T II.

*Vienna Austriæ a Turcis obsidione premitur, illata  
clade hostes profligantur, Cæsar is victoriâ cultus San-  
ctissimi Nominis MARIAE promovetur.*

1683.  
Status Seculi.

Vienna a Tur-  
cis obsidione  
premitur,

DEUS i-  
mperio de ma-  
lo bonum e-  
sticis

I. Annus agebatur reparatæ salutis millesimus sexcentesimus octogesimus tertius: præsidente in Apostolicæ Sedis Cathedra Clarissimæ memoriæ Sanctissimô Dominô INNOCENTIO XI. & habenas Romani Imperii moderante Augustissimo LEOPOLDO I. Gestorum Splendore MAGNI cognomentum adepto; quo tempore subortis perniciosis motibüs Christiana Respublica concuti, & graviore, quam unquam aliâs, urgeri discrimine cœpit. Mahometus námque hujus nominis IV. Turcarum Tyrannus secundissimo victoriarum cursu impotenter elatus Christianorum cervicibus insultans Urbi orbique jugum minabatur aut excidium. Is enim ancillantis Asiae viribus fretus, & latissimô Europæarum Provinciarum Dominiô turgidus, variis circa Istrum Nationibüs subactis & occupata propemodùm totâ Hungariâ reliquam hujus quóque regni laciniam domesticis alioquin simultibüs exulceratam, civilibusque bellis inter se commissam spe jam devoraverat. Majoris autem adhuc Imperii actus cupiditate annô supramemoratô pestilentibüs suorum Purpuratorum consiliis illectus, quamvis ipse alias mollissimi esset Princeps ingenii, otio & voluptatibus ultra modum mancipatus, vicennale induciarum fœdus violare, & conscripto exercitu, qui demptâ innumerabili calonum & lixarum colluvie centum & sexaginta armatorum millia superabat, Viennam Austriæ arctissima obsidione circumvallare, mœnia muralibüs machinis verberare, vicinum agrum ferrò flammisque depopulari, ac demum ferociissimis procursionibüs ingentem hominum multitudinem nullo ætatis aut sexus discrimine neci dedere, vel in servitutem omni morte amariorem abripere nihil pensi habuit.

II. Ernestus Rudigerus Comes Staremburgius exercitatissimus belli Dux, cui Cæsar Urbis obsecræ defensionem commiserat, hostili sese furori ceu aggerem quemdam objecit; militari námque præsidio armatas civium & Academicorum turbas adjunxit, eorundemque manibüs truculentissimos Barbarorum assultus longo fatis tempore repressit & elusit. Sed cum res haud procul exitiō abessent, Clementissimus DEUS tam lugendis Chri-

1683.

Christianorum calamitatibus velut *e machina* opem tulit, suaque infinita sapientia effecit, ut deploratae propemodum & afflictae res nostrae praeter expectationem restoreicerent, adeo quidem, ut haec obsidio, quae in exterminium Christianae Reipublicae cessura putabatur, totius demum subsecutae prosperitatis initium fuerit. Siquidem Augustissimus LEOPOLDUS I. Romanorum Imperator, cui molitiones hostium multo prius innotuerant, de populo suo solitus Pater ad exterios Principes acceleratis Legationibus & nunciis jam proximum parietem ardere conclamat, vicinis demonstrat omnes eodem secum involvendos incendiō, ni properato auxiliō rebus lapsantibus opem ferrent. Igitur ad sua vota Serenissimum Regem & Rempublicam Poloniarum jam in hujus anni mense Aprili in societatem armorum exciverat, qui tanto propensiore studio ad propulsandum commune periculum advolaverat, quanto probius noverat, ipsam quoque Cracoviam, Polonorum Regiam, vindice LEOPOLDI manu olim in libertatem assertam, nec incruenta expugnatione Suecis ereptam fuisse.

Regis Poloniae  
pacta subdidit.

III. Imperii quoque Status & Ordines in causa communi aduantur: Imperator cum MAXIMILIANO & JOANNE GEORGIO Bavariæ & Saxonie Ducibus Electoribus stipendiarios milites pro temporis compendio atque summo periculo celerius, quo fieri poterat, ad pugnam congregat, & brevi adversus crudelissimos hostes justum conflat exercitum. Serenissimus Poloniarum Rex JOANNES III. militari gloria dudum commendatis simus cum selecta militum & Nobilium suorum manu promptus, nostris sub Archistratego Serenissimo Carolo V. Duce Lotharingiae militantibus in tempore adest. INNOCENTIUS XI. Supremus Ecclesiæ Pastor & Pontifex hisce rebus in afflictissimis velut de salute ipsius Urbis Romanæ ageretur, solitus more Majorum decumatis in usum sacri belli Sacerdotum proventibus, atque aliis non contemnendis opitulatus est nummorum subsidiis, sed imprimis cum fidei CHRISTI populo fusis ad DEUM ardentissimis precibus nutante Christianæ Reipublicæ Statum opportunò auxiliō fulcire contendit.

Imperialis  
Convocatus  
auxilia.Regis Poloniae  
suppetens.Summi Pon-  
tificis subdi-  
dia.

IV. Re tandem ad armorum arbitrium devoluta acerrimum prælium exarsit, utroque exercitu incredibili animorum contentione dimicante: sed pulsis sensim Turcarum manipulis, qui itineri nostrorum per angustias montis Cetii in planitem urbis Viennensis eluctantium, rabido furore resistere præsumperant, victoria haud obscuris indicis causam meliorem respexit; illis namque cruentissimo certamine profligatis, Turcicarum copiarum reliquiae tanto sunt pavore correptæ, ut abjecto pugnandi consilio ocyus in pedes se conjecerint, præcipitique fugâ vitas suas Christianorum ferro subduxerint, ingenti prædâ in castris relietâ cum toto ærario, tabulario, ac tormentis omnibus. Insignis hæc Victoria Christianis obtigit duodecima mensis Septembris, Dominicâ post Natae Virginis DEIPARÆ Solemnitatem, anno ejusdem saeculi tertio & octogesimo. Quæ Dominica hodie sanctissimo Nomini ejusdem Beatæ Virginis dedicata ob universale

Certamea  
acre.Victoria, &  
Vienna ab  
obsidione li-  
beratur.12. Septem-  
bris, dies Via-  
toria Nomini  
B. V. per-  
petuæ sole-  
nis.

1683. beneficium atque publicum Orbis Christiani gaudium factis adscribi meruit, instituta Viennæ anniversaria pro agendis DEO gratiis Cleri populique supplicatione.

### C A P U T III.

#### *Occasione sacri fœderis inter Principes Christianos, & intuitu Redemptionis captivorum Ordo Trinitarius in Poloniam evocatur.*

**I.** **S**uavissima Divini Numinis Providentia in tempore, modo, & ordine ita sapienter disponit universa, ut humanus intellectus, nisi superiore lumine illustretur, eam minimè affequi possit. Altissima DEI Judicia, quæ ut rectè monet sapiens ille scriptor, nemo comprehendit, & nemo justè reprehendit, adoranda sunt, nec temerè scrutanda. Ingruunt sæpenumerò miseris mortalibus mala exitialia, quæ licet aliquamdiu grassari permittat, neutiquam tamen ea prævalere finit, qui potens est DEUS & misericors Dominus: vel enim illa promptis & opportunis avertit remediis, vel ex ipsis malis boni producit occasionem, aut subita mutatione, venenò velut in antidotum versò, noxia in optimis quæque & saluberrima solet convertere. Hujus veritatis, quamvis obvia & quotidiana deessent argumenta, locupletissimus testis est fulgidum Ecclesiæ luminare S. Augustinus, qui cùm DEI magnifica opera intenta acie contemplaretur, more suo eleganter in hæc verba prorupit: *DEUS Omnipotens, inquit, nullò modō si-  
neret malum aliquod in operibus suis, nisi ad eum esset omnipotens & bonus,  
ut benefaceret de malo.* Idem Divinæ humanæque litteræ locis pro-  
pè innumeris contestantur. Idipsum quóque nostris temporib-  
us, ut præcedente capite memoravi, usuvenit: cùm videlicet Ottomanna rabies ruptis velut aggeribus suos egressa limites im-  
placabilī odiō atque furore fundendo Christianorum sanguini in-  
hians, evastatis circumquaque regionib-  
us, profanatis aris, pes-  
sumdati sacrī, incolisque vario tormentorum genere interemptis, aut quod est multò acerbius, in lentam mortem, & ad longam ac miserabilem servitutem abreptis in Catholicæ Ecclesiæ vi-  
scera sœviret, *DEUS Ter optimus maximus, cuius natura bonitas, cuius Voluntas potentia, cuius opus Misericordia,* effrenato furori metam posuit, hostium arma coērcuit, scutum, gladium & bellum confregit, vulnus populi sui misericorditer alligavit, Cæ-  
fareis Aquilis terrificum fulmen subministravit, ut ejus operā vi-  
res hosticas attereret, ausus temerarios compesceret, fœdifragam irruptionem puniret, a regionibus nostris Mahometani Imperii tyrannidem arceret, novásque terras infidelium unguibus extra-  
etas legitimo Domino postliminiō affereret, labantem Ecclesiam validis præsidiis firmaret, **CHRISTI** oves violenter abstractas & in cruentis luporum faucibus diu miserè hærentes ad proprium Ovile, id est, fidelem DEI populum in luto, palea, & lateribus fer-

**DEI Previ-  
dencia ex ma-  
gisteriis bona.**

**S. Aug. in En-  
chirid. cap. 1.**

**Ex obſtacionis  
Viennensis ex-  
lamitate Chri-  
ſtianis major  
contra Turcas  
ſuccellus.**

**S. Leo in Na-  
tiva Dom.**

**Inducendi Re-  
demptionis  
captivorum  
Instituti occa-  
ſio.**

servientem missis Redemptoribus in Christianam libertatem & patriam reduceret: quod inter cætera præcipuum deinceps erit hujus nostræ scriptionis argumentum.

1683.

Res sunt ab origine depro-  
menda.

Polyb. in Hi-  
stor. Romana  
lib. I. cap. 5.  
in fine.

II. Ad usum verò faciliorem & uberiorem rerum dicendarum intelligentiam, juvat rem ab ipsis principiis exordiri, ut prudenter monet Polybius clarissimi nominis Historiographus, cuius hæc sunt verba: *Quando principium aut ignoratur, aut parvum est certum, ne eorum quidem, quæ deinceps sequuntur, quidquam assen- sum, aut fidem potest mereri, ubi verò certa & indubitate bujus notitia fuerit hominibus tradita; tunc & omnis, quæ deinceps subjicitur narra- tio, cum assensu ab audientibus admittitur.* Sic ille, nos congruenter ad propositum, ut clarius universa cognoscantur, ab origine rem paulò altius repetere operæ pretium esse duximus.

III. Ergò partà ad Viennam Austriae tam memorabili victoriâ, Urbéque ab obsidione liberata, paucis post diebus nostri recreatis viribüs secundum ripam Danubii Turcas ab hausto in medullas terrore paululum respirantes affecuti ad Parcanum Hungariae oppidum novo calore aggressi fuerunt. Consertò præliō variò Marte aliquamdiu pugnatum est: cæsis tandem, fusisque Ottomannis copiis, quarum major pars præterfluentis Danubii vorticibus hausta ibi exitium invenit, ubi salutem quæsierat, Christiani insignem alteram victoriam reportârunt, madidásque barbarorum neces in triumphi materiam converterunt, cuius præmium fit Strigonium, nobile ac munitum oppidum, Metropolitana Sede olim insigne, octava & vigesima die Octobris ditione receptum. Secundissimo hoc belli successu erecti militum animi ulterioribus victoriis avidè inhiabant, sed anno totis jam viribüs in hyemem vergente, aliud nimirūm consilium suscipi, & vietiosus miles multo pulvere non ingloriè respersus in stativa hiberna dimitti debuit. Serenissimus Poloniarum Rex Nominis, Gentisque suæ gloriâ tot lauris & victoriis in immensum auctâ, Autumno jam inclinante absoluta feliciter expeditione in Poloniā reversus est, & vigesimâ tertiâ Decembris Cracoviam totius populi gratulatione Triumphali apparatu intravit, Obsidionali simul & Murali coronâ decorus, ibidemque Natalitia Divinissimi Salvatoris nostri festa lætus celebravit. Interim factò suorum censu ex tot conflictibus multi sunt desiderati, quos partim gladius absumpſit, partim atrox captivitas ad Turcas abstraxit. Protinus ergò restaurandis Legionibus animum adhibuit, & ut imminentia pericula anteverteret, militarem disciplinam in officio continuit, præsertim cum sati agnosceret Regnorum suorum confinia, quâ Orientem attingunt, cum Tartaris gente prædatrice non admodum securè cohærere.

Ad Parcanum  
10. Octobris  
Turcarum  
caedes.

28. ejusdem  
Strigonium  
deditur.

Rex Poloniæ  
Cracoviam  
venit 23. De-  
cembris.

Vires & Le-  
giones iastau-  
rat,

IV. Insequente mox Vere ad Borysthenem in Ucrainam expeditionem eduxit, adscitisque Cosaccis, qui in Regis fide perfitterant, vietricia signa in Tartaros convertit, ut ita Turcarum subsidiarios belli socios armis attereret, a Regno suo hostiles populationes procul arceret, & Rem publicam providè communiret. Tartari námque gens fera, fœdáque subitis, Scytharum

1684.  
In Tartaros  
movet.

1684.

Regno Poloniæ insistor.

more, assueta irruptionibus Regnum Poloniæ immanibus sèpè damnis afflitit, & perpetuis grassationibus provinciam latè per vagata innumeros utriusque sexus homines in tristissimam servitatem abstraxit: hujuscemodi plagiatis excursionibus quantum Christiani opprobrium ac detrimentum pertulerunt, tantùm Tartari viribus opibusque creverunt, ut potè qui mancipiorum & servilium corporum mercimoniò haud vulgares divitias coacervare solent. Hinc illi quotidie instauratis latè depopulationibus, spoliis, ac latrociniis insolenter elati maleficia sua velut trophyæ ostentabant; quibus coercendis Rex totam industriam exeruit, eventu, ut fama tulit, vario, nec æquali studiò, unde & Cæsari major semper belli moles incubuit.

Bellum factum  
a. 1684.  
a. Septembribus  
concessitur.

V. Augustissimus LEOPOLDUS I. Romanorum Imperator par animo zeloque per Pannionam adversus Ottomannos, juvante DEO, feliciter prosecuturus Victoriae cum JOANNE III. Poloniarum Rege, & Venetiarum Republica ad deprimendam terraque Sultanorum veterem superbiam, & labefactandam Orientis potentiam sociale fœdus meditatur; cuius Protector & Conservator esset INNOCENTIUS XI. Pontifex Maximus, atque ejus in ævum Successores, quod inter partes certis quibusdam conditionibus IV. Nonas Septembribus probè constitutum est anno hujus saeculi quartò & octogesimò totius sacri belli fundatum atque compendium.

Mem. S. Fœdus occasio-  
nem dedit in-  
stitutum re-  
dimendum  
captivorum  
propagandi.Oratoris Po-  
lonici operæ.

VI. Hoc ipsum Fœdus, cum adhuc sub incude versaretur, ut amabilem Numinis Providentiam admireris, occasionem dedeat maximè opportunam Sacri Ordinis nostri in Septentrionem propagandi, quod fusiū nunc declarare constitui. Cum mutuo partium consensu id maximè ageretur, ut tam salutare, totique Reipublicæ Christianæ summè proficuum Fœdus quantocyùs conficeretur, Reverendissimus & Illustrissimus D. Joannes Casimirus Denhoffius Praeceptor Hospitalis S. Spiritus in Saxia, & Abbas ad Claram Tumbam, qui tandem post biennium ab hoc fœdere absoluto in amplissimum Purpuratorum Ecclesiæ Patrum Collegium cooptatus fuit, & Cardinalis creatus sub titulo S. Joannis ante Portam Latinam, ac tandem Cæsenensis in Italia Episcopus, a Serenissimo Rege & Republica Poloniæ delectus est Orator ad Supremum in terris CHRISTI Vicarium INNOCENTIUM XI. ut sua dexteritate arduum hoc negotium ad optatum exitum deduceret. Is suo munere sapientissimè functus inter cætera quoque secum reputare cœpit ingentia mala & calamitates, quas dubii belli casus secum afferre consueverunt. Angebatur vero potissimum, quod facile dispiceret, fieri non posse, ut in tam sievo bello innumeris patriæ cives, militésque in crudelissimam servitatem non abriperentur. Quamobrem, ut erat Regis sui, suæque Reipublicæ studiosissimus, cœpit multa secum revolvare, quibus imminentes patriæ clades aut omnino avertere, aut certè resarcire posset. Ad extremum rebus omnibus maturò consiliò discussis perspicuè agnovit, nihil posse Regi utilius, nihilque Reipublicæ commodius accidere, quam si in Poloniā accerseretur Ordo

Ex necessitate  
causa.

ali.

aliquis Religiosus, cuius pium esset Institutum captivos Christianos e vinculis barbarorum eripere, eosque in libertatem postlimi-  
niò reducere; cum enim Sarmatia irruptionibus & grassationibus  
Tartarorum potissimum sit obnoxia, novam semper hujus mune-  
ris exercendi segetem suppeditat, ut proinde magna operariorum  
copia ei summè sit necessaria.

1684.

VII. Has ille cogitationes suas quamvis arcanò premeret si-  
lentiò, non tamen passus est in eadem tellure exarescere, in qua  
effloruerant, sed desiderium suum, quod mente conceperat, Re-  
gi per epistolam manifestavit, qui collaudata optimi Præsulis vo-  
luntate ejus propositum prolixè probavit, eumque impendiò est  
cohortatus, ut talium Religiosorum coloniam quamprimum in  
Poloniam perduceret, pollicitus Regum favorem suum eis sem-  
per præstò faturum. Orator intellecta propensissimi Regis vo-  
luntate confessim ad Summum Pontificem se contulit, eidé-  
que propositum suum, Regisque sententiam aperuit. INNO-  
CENTIUS XI. universalis Ecclesiæ Pontifex pietatis zelum pro-  
bat, & hujusmodi propositum amplius commendat, eumque  
efficacibüs verbis exhortatur, ut quæ mente conceperat, absque  
longioribus comperendinationibus in opus deduceret ad laudem  
DEI Omnipotentis, Ecclesiæ incrementum, atque populorum  
æternam salutem.

Confilium Re-  
gi Poloniæ &c  
Summo Pon-  
tifici insinua-  
tur, & appre-  
batur.

VIII. Cum verò Romæ plures reperiantur Religiosorum homi-  
num Ordines, qui Redemptioni captivorum ex professo incum-  
bunt, supralaudatus Orator singulari industriâ in singulorum vi-  
vendi rationem, regulas & mores inquisivit, accurateque edoceri  
voluit, quænam inter illos vigeat Disciplinæ observatio? quæ  
statuta? quænam inter principes viros de quolibet eorum cir-  
cumferatur opinio? quæ pariter apud imos & in vulgo fama?  
Pensatis tandem maturè omnibüs momentis Ordinem Excalcea-  
torum Sanctissimæ TRINITATIS de Redemptione captivorum  
Congregationis Hispanicæ primitivam regulam profitentium sui  
Instituti observantissimum, vitæ sanctimoniam celebrem & doctri-  
nâ clarum censuit reliquis præferendum. Nec diu cunctatus illi-  
cò P. Petrum a JESU Cœnobii S. Caroli ad quatuor fontes in Ur-  
be Ministrum, & in Romana Curia Procuratorem Generalem con-  
veniens ei mentem suam exposuit, significavitque, ipsum quoque  
Regem cum Summo Pontifice in eandem concessisse sententiam:  
petiit itaque, ut aliquot Patres hujus Ordinis citra moram in Po-  
loniam ablegaret, qui hoc Institutum terris illis implantarent.  
Id verò cum P. Procurator Generalis non esse suæ potestatis, sed  
a supra Ordinis Auctoritate pendere dictitaret, res tantisper  
dilata est, donec totam petitionis seriem ad Majorem & Gene-  
ralem Ordinis Ministrum, qui tunc erat N.P. Antonius a Concep-  
tione in Hispanias perscripsisset. Hæc Epistola ut Madritum  
delata fuit, Patres Definitores Generales, quorum munus est de  
gravioribus Ordinis negotiis decernere, in confilium vocati, le-  
ctis ibidem, & expensis litteris prolixè commendârunt pro-  
positum, rati hanc, quæ nullam meliorem sperare potuissent, &

N. Ordo cap-  
teris prefer-  
tut.

Differunt ne-  
gotium, & in  
Hispanias  
seebitur,

1684.

Promptè suffragantur o-  
mnes,Patres in Po-  
loniam desti-  
natur.Precibüs iter  
auspicantur  
Granatae 15.  
Aug.

quidem ultrò oblatam Ordinis in remotissima Regna propagandi occasionem manifestam esse DEI voluntatem. Etenim ad hæc usque tempora sacer Ordo noster præter Romanum ad Quatuor Fontes, & Septensem in Africa extra Hispanias nullum obtinebat cœnobium. Sanctum est igitur universorum applausu & solatiō ad Divini Numinis Gloriam, animarūmque salutem huic petitioni esse promptè suffragandum.

IX. Ipse Noster P. Generalis Minister præsens negotium se-  
riò ursit, & in hanc expeditionem delegit P. Joannem a Sancto  
Antonio patriâ Cordubensem, qui post lectam fratribus Theolo-  
giam sub idem tempus Granatæ Regium nostri Ordinis cœnobium  
administrabat, ad Supremam Ordinis Præfecturam olim subli-  
mandus, ut inferiùs suò locô dabimus, & ejusdem Patris arbitratui  
reliquit socium diligere, quem in hanc expeditionem secum assu-  
mere vellet. Ambo autem pari consensu conspiraverunt in P.  
Franciscum a Conceptione Beatæ Virginis, Cordubâ itidem oriundum,  
qui tunc in nostro Baëzensi Collegio Cathedram Theolo-  
giæ moderabatur, virum sanè suavissimæ conversationis, nec vul-  
garibüs ingenii, gratiæ & naturæ dotibüs condecoratum. Augu-  
sti mense die quinta & decima in sacra luce in cœlos assumptæ  
Virginis DEIPARÆ ambo Patres in Poloniam destinati coram  
Sanctissima Icone Beatæ Virginis MARIÆ de *Gratia*, quæ in no-  
stro Regio Granatensis asceterii templo crebris miraculorum &  
gratiarum beneficiis, fideliumque populorum accursu celebratur,  
suplices provoluti a DEO, ejusque Sanctissima Genitrice opem  
auxiliūmque postulārunt ad hanc difficultem Spartam ritè obeundam;  
multūm quippe ad felicem negotiorum successum impetrandum  
semper interfuit, ea devotis precibüs Divinæ Clementiæ fervide  
commendâsse. De coelesti itaque auxilio confisi Madritum conce-  
serunt, ubi aliquamdiu subsistentes frequenti consultatione res ad  
ulteriorem profectionem composuère. Tandem proclivî jam Au-  
tumnô ab eodem Majori & Generali Ordinis Ministro larga im-  
pertiti benedictione illi duo viri religiosissimi cum plena pote-  
state mittuntur in Poloniam, ut Ordinem ibidem pro DEI TRI-  
UNIUS Gloria & pauperum captivorum salute latè propagarent.

Romam per-  
gunt pluribus  
ex causa.

X. Priùs tamen quād delegati Fundatores in Regnum illud  
concederent, Romam, ut in mandatis habebant, se contulerunt:  
cui itineri multæ causæ obstetricabantur, ex quibus ista non po-  
stremum locum obtinuit, ut quemadmodum ex hac Urbe Roma-  
ni Imperii quondam principe, atque Sede Divi Petri, CHRISTI  
in terris Vicarii TRI-UNIUS DEITATIS Fides in omnem, qua-  
quā patet, orbem terrarum fuit diffusa, ita quoque Ordo Sanctissimæ TRINITATIS de Redemptione captivorum ab eadem Urbe  
sub Divi Petri Successoribus in varias Provincias longè latèque  
propagaretur; & ad hunc effectum Summi Pontificis benedictio  
impetraretur. Porrò ut plenum pietatis opus in faustum omen  
ab ipsa quoque pietate auspicarentur, præprimis SS. Apostolorum  
limina visitarent, aliisque loca Sanctorum Martyrum Passione &  
sanguine consecrata venerarentur; deinde verò a Reverendissimo

Den-

Denhoffio novae hujus propagationis Authore necessarias postula-  
rent instructiones, queis pro temporum locorumque circumstan-  
tiis in commisso sibi negotio se im posterum conformarent.

1685.

XI. Longis tandem terrâ marique confectis itineribus Ro-  
mam VI. Idū Januarii anni millesimi sexcentesimi octogesimi  
quinti ex Hispania feliciter appulerunt, in Cœnobio S. Caroli ad  
Quatuor Fontes summa Fratrum gratulatione excepti. Quoniam  
verò tunc rigidior hyems erat, & viæ trans Alpes iniquæ, ibidem  
usque ad decimam mensis Martii sunt demorati. Hoc bimestri  
spatiō omnia ad tam longinquum iter necessaria compararunt,  
seque rebus gerendis aptarunt. Frequentes interea erant in sacris  
locis venerandis, & Divorum patrocinis implorandis: horis ve-  
rò succivis Reverendissimum Denhoffium Polonici Regis Orato-  
rein officiosè adierunt, qui, ut erat in rebus patriæ versatissi-  
mus, eos prolixè docuit, quid domi forisque agendum aut se-  
quendum. Et ne quid consummatissimæ ejus benevolentiae deesset,  
omnia demūn, quæ dixerat, suaserat, prohibueratque pro ad-  
jumento memorie, & stabili directione luculentō Scriptō execu-  
tus est, quod ille Patribus in Poloniā abituentibus, veiut cer-  
tissimum pignus, quō eos prosequebatur, amoris in manus tradi-  
dit. In hoc ille commentario testatum fecit, quanto affectu Pa-  
tres complecteretur, quos his verbis est allocutus: *Religiose mode-  
stie vestre Patres admodum Reverendi, morem gerens nonnulla, quæ  
vobis iter in Poloniā maturantibus conducere excusimavi, monita mitte,  
tum ut in longioris viæ incommodis jucundō sint vobis oblectamentō, tum  
verò maximē, ut ex iis aliquid in variis, quibūs conflictabimini molestiis  
solatii, & in rebus ad Domini Nostri JESU CHRISTI Gloriam susci-  
piendis adjumenti capiat. Prudentia sanè vestra præclarō Reveren-  
dissimi Patris Ministri Generalis judicio comprobata mibi ex frequenti-  
bus sermonibus collocutionibusque nostris saitis perspecta erat: fecisti ta-  
men, ut eam intelligere possem vel hōc unō argumentō, quod aliena con-  
silia non modò non repudiatis, sed diligenter exquiritis, & submissis  
aq̄ue ac enīcīs precibūs efflagitat. Difficultates enim non paucas im-  
minere vobis solerter præsentisis, quas cogitatione a vobis singillatim præ-  
noscī non posse fatemini; quid etiā rerum vestiarum periti, nostrarum  
tamen rudes es̄tis, & non terra duntaxat, cœlumque sed lingua, mo-  
rēsque, & omnia vobis in Polonia peregrina erunt. Quæ sanè opinio  
vos nequaquam fecellit. Quantō enim locorum intervallō, tantā legum  
& consuetudinis diserepantiā Poloni ab Hispanis disjuncti sunt. Quam-  
obrem consilia mea, ut vos equidem ingenuè & simpliciter rogatis, ita ego  
aperte & fidenter vobis impertior, atque in candidum pectus vestrum lu-  
bentē & propensō animō infundo. Idque adjicio ( quod beneficii alicu-  
jus locō vobis esse nolim ) sed animus vester in eis conquiescat, nihil a  
me adferri, quod mente rebus attenta, & usū diurno aſſecutus exem-  
plis compluribūs confirmare non possim. Ergo agite, Patres Optimi, &  
præmoniti, facite, ut vitatis erroribūs firmo solo ædificii fundamenta  
a vobis ponantur, quod neque vetustate satiscens corruat, neque fre-  
mentium fluctuum violentiā, aut furentium ventorum impetu subrua-  
tur. In moribus vestris Sanctorum Ordinis vestri Authorum vitam*

Eō perva-  
niant 3. Ja-  
nuarii.

Præfatio D.  
Denhoffii ad  
Patres.

Diversa em-  
nia in diversa  
regione.

1685.

Fundare, &  
implantare  
ordinem non  
longè diffe-  
ruat.

Auguratur in-  
de regno pro-  
spicitatem.

Plus operis  
quam nomi-  
nis requirit.

Benedictiones  
Summi Pon-  
tificis donan-  
tur.

Didicimus de  
Redemptione  
vice oraculi;

Testius addi-  
tur in locum.

Comenda-  
tissime Litteræ  
a Cardd.  
Cybo.

exhibete, non longè enim illa duo differunt Religiosam Familiam instruere, & eam in regnum aliquod primum inferre: & uterque pars ferè est sanctitatis labor. Itaque divinæ gratiæ, & omnigenæ felicitatis, quod a conditoribus accepistis omen, per vos in Polonia impleatur. Ita, Patres, per vos DEI clementia nobis reconciliata det prosperos in Augustæ venerandæque TRIADIS hostes armorum successus, & Crucis amabile Decus, quō decenter ornati inceditis, in victoriarum ac triumphorum Signum Sarmaticis Populis præfulgeat. Pergite, Patres, properate, & glaciales nives, quibūs animi hominum Divini amoris Borealibus in oris expertes rigent, constrictique sunt, ardore charitatis vestræ solvite, omnes ad opera Christianæ pietatis inflammate, vosque ipsos velut sacras pro Regni salute viðimæ devoteentes, alios etiam præstanti, quō flagratis, Martyrii desideriō incendite. Hæc enim est expectatio, quam absentes concitatis, & Reipublicæ Universæ, quæ vos in sinum suum peramanter recipit, de virtute vestra existimatio. Videte, ut præsentes famam hanc sustineatis. Imò verò, Patres admodum Reverendi plus habete operis, quam nominis, spésque nostras rectè ac præclarè factis vincite, & valete. Hæc ille haec tenus. Cæteras verò, quas deinde subjecit rectæ gubernationis formulas, cùm hæ etiamnùm in arcanis Scriniis asserventur, nec ego propalaverim: Sed néque hoc arbitror pertinere.

XII. Ut autem Patres, priusquam ab urbe discederent, ad Sanctissimi Pontificis pedum oscula admitterentur, satagere coepit Eminentissimus Alderanus Cybo, Secretarius, ut vocant, Status, & Ordinis nostri sub idem tempus Cardinalis Protector. Sed quod iisdem diebus Pontifex ex guttulis inflammatione decumberet, ejus gratiæ compotes fieri non potuerunt. Cùm tamen a familiaribus suis intellexisset, quid Patres percuperent, & præsentiae suæ copiam eis facere detrectaret, impertita benedictione vice oraculi hæc prolocutus est verba: *Opus Redempcionis captivorum magnum opus est.* Et sic eos ad præstitutum iter dimisit.

XIII. Cæterum quia ager Romanus propitiō admodum mitique cœli geniō perfruitur, nec immoda, néque diurna regnat ibidem brumæ frigora. Sole igitur diéque sensim adolescente Patres nihil diutiū cunctandum censuerunt, sed propinquantis Veris favore illecti confessim itineris rationem suscepserunt, quibus etiam ad obsequia domestica adjunctus fuit Frater Joannes a S. Francisco Italus, gente Prænestinus, activam vitam professus. Verumtamen antequam Urbe pedem efferent, procurandum putarunt, ut magnorum Virorum commendatitiis Litteris instruerentur, quarum præsidio iter illorum in Poloniam muniretur, ibidemque propensiōribus animis exciperentur. Neque defuit eorum desideriis clarissimorum Virorum pietas; quotquot enim Ordini nostro sincero affectu studebant, suis quoque Epistolis huic expeditioni velificabant, quorum singillatim nomina recensere ipsa nos cogit gratitudo. In nostrum itaque favorem sequentes scripserunt: Cardinalis Alderanus Cybo ad Regem, & Reginam Poloniæ, nec non ad Opitum Pallavicinum Apostolicum in illis

ter-

terris Nuncium. Cardinalis Carolus Barbarinus ad eosdem, & prætereà ad Episcopum Posnaniæ. Cardinalis Estreus ad Reginam candem. Cardinalis Carolus Pius Germaniæ & Domus Austriae Protector ad eundem Nuncium, insuper ad D. Cristophorum Zierovium Cæsaris apud Regem & Rempublicam Poloniarum Legatum. Cardinalis Carpegnus ad eundem Sedis Apostolicæ Nuncium. Carolus Noyelle Societatis JESU Præpositus Generalis ad PP. Joannem Hermanum & Joannem Bernet, quorum alter per Poloniā, hic per Lithuania sub idem tempus Præfatus Provincialis audiebat. Item ad P. Petrum Kostrychium Serenissimæ Reginæ a sacris confessionibus. Horum literis (quarum exempla conservantur in hoc tempus) muniti decima die mensis Martii, quæ eō annō in sabbatum ante primat̄ hebdomadā quadragesimæ inciderat, post mutuos Fratrum amplexus, dictumque supremum vale, Romam egressi iter suum in Septentrionem cum bono DEO auspicati fuerunt. Illam tamen aëris benignitatem, quam Romæ reliquerant, in montanis minimè tenuerunt; nam sicut Romæ blando quodam virore omnia vernabant, ita hīc nivibus, glacie ac gelu omnia rigeabant, unde pariter Religiosi viatores nostri, qui hujuscemodi aëris injuriis perferendis non insueverant, nec paucis, neque modicis conflictati sunt incommodis.

XIV. Interim Romæ Sanctissimus Pontifex ejusdem expeditionis negotium semper cordi habuit, nihilque non egit, ut ad optatum finem pertingeret, rectè sibi præagiens, quantum Poloniæ, totiusque Christianæ Reipublicæ interesset sacerrimi hujus Instituti, captivorum nimirūm Redemptionis, in Septentrionem propagatio: undē eidem calidè patrocinandum esse duxit, expeditivitque ad Poloniarum Regem & Reginam Epistolas, quibūs paternum in hujus Ordinis Institutum ejusque Professores affectum testatus est, quatenus eis Regios favores conciliaret, & ampliora benè meritis advocaret præsidia, Regnique Procerum accenderentur animi, ut minimè ambigerent, optimè in eos eroganda beneficia, quibūs Sedis Apostolicæ Auctoritas tam ardenter suffragaretur. Jussit ergò Optimus Pontifex easdem Epistolas per Illustrissimum & Reverendissimum Dominum Opitium Pallavicinum Archi-Episcopum Ephesinum in Regno Poloniæ, Magnoque Ducatu Lithuaniae Nuncium Apostolicum ad supra laudatas Majestates deferri; quod etiam non sine insigni Ordinis commendatione peractum fuit.

XV. Hæc Supremi Ecclesiæ Pastoris, qui oves suas ex vultu noverat, clarissima de Patribus prolata testimonia & veredariō nunciō transmissa adventum eorum in Polonia anteverterunt, undē & grandis de illis nata est expectatio. Ipsi verò interea Viennam Austriae delati aliquot diebus hic substiterunt, donec ultrius procedendi opportunitatem nanciserentur. Contemplabantur urbem non ita pridem afflictissimam e nupernis damnis & ruinis emergere; mitiore deinde aëte & urbanō gentis genio deliniti peroptabant hīc peregrinationis metam statuere, (ut ipse

1685.  
Barbarino.  
d'Estre.  
Pio.

Carpegnz.  
Noyelle Soc.  
JESU Præpo-  
sito Generali.

Romā disce-  
dunt 10. Mar-  
tii.

Summaus Pon-  
tifex eosdem  
Regi & Regi-  
nae litteris  
cominendat.

Viennam Au-  
stria trans-  
eunt, ibidem  
manere pere-  
ptant.

1685.

Plures litteras  
obtinente.

Oломuciò in  
Poloniam de-  
ducuntur.

\* Hoc festum  
in Polonia 8.  
Maii celebra-  
tur.

Varsavia Regi  
& Proceribus  
causam ad-  
ventus sui ex-  
ponunt & lit-  
teras pre-  
munt.

frater viæ socius in suo itinerario annotavit ) sed hæc iis temporibüs faciliùs optari , quām sperari poterant , vel potius intra præliminaria vota & dilata stetere desideria. Interim autem nè otiōsi desiderent , ad salutandum Regis Poloniæ Legatum se contulerunt , & ex Urbe Romana plures litteras , queis aliæ ad Archi-Episcopum Leopoliensem , & Chioviensem deferendæ claudebantur , acceperunt. Octavâ & decimâ mensis Aprilis , quæ erat Feria IV. Sanctioris hebdomadæ Viennâ discedentes Olomucium Moraviæ Metropolim contenderunt : hic adolescentem Polonum natæti ducentrem mensis Maji septimâ \* in pervigilio festi S. Stanislai Cracoviensis Episcopi & Martyris , totius Regni Indigetis , Patronique , omne in spem bonam accepto , Poloniam intrarunt , reatque viâ Varsaviam properaverunt , ubi Rex cum Regni Proceribus Reipublicæ causâ convenerat , quibus illi acceptas litteras exquisitâ reverentiâ tradiderunt , ac deinde ad ea curanda , quorum gratiâ advenerant , animos applicuerunt.

## C A P U T IV.

*Leopoli Domus impetratur. Viennæ agitur de no-  
vo cænobio condendo : sub idem tempus officium , &  
Missa de SS. PP. NN. JOANNE , & FELICE  
ad universam Germaniam extenduntur.*

Leopoli Do-  
mus impetrata-  
tur , quæ Vien-  
nensi prælu-  
fit.

Nostrarum  
rerum cum  
Polonicis  
connexio.

Viennam al-  
lechi prius Pa-  
tres.

Civium Vien-  
nensium laus.

I. T'Entata hucusque Magnorum molimine Sacri nostri Ordinis in Polonię propagatio , ac demùm nec minoribüs impendiis obtenta Leopoli struendæ Domus facultas Viennensi Fundationi in Austria quodammodo prælufuit ; quinimò si causa causam requirat , & pensiculatiū inspiciantur momenta rerum , locorum occasiones , temporum circumstantiæ , actorumque affinitates inter se strictius ita cohærent , ut diversa nequaquam censeantur , & alterum ab altero sine nota obscuritatis haud facile disjungi valeat : ad abstergendam itaque omnem dictionis caliginem , postquam illa , quæ in Polonia intra sesquiannum perfecta sunt , cursim indicavero , nostra demùm , quorum causâ de-sudo , ex professo tractabo.

II. Perfunctoriè quidem nuper Patres Viennam inspexerant , urbem amplissimam , non pridem Turcarum obsidione ferè pro-tritam , desolatamque , nunc autem absterto squallore suis e ruinis ad pristinum splendorem magnificentius resurgentem. Videbant hanc urbem ob perpetuam in ea Cæsareæ Familiæ sedem ab affluente ex toto ferè Orbe Christiano nobilitate frequentari , ipsos verò cives & indigenas non modò divitiis , & omnigenarum rerum abundantiam , sed & insigni pietate , morumque honestate florere ; unde nihil ardentius anhelabant , quām sacram Religionem nostram jactis cujusdam Cœnobii fundamentis in hac civitate stabilire , ex qua deinde facilè negotiò in vicinam Hungariam ( soli über-

ubertate nihil Hispaniae concedentem ) propagines effundere pos-  
sent, quas illi huic Regno tantò utiliores fore rebantur , quanto  
exploratiùs noverant, ingentem quotannis Christianorum mul-  
titudinem a confinibus Turcis in vincula abripi, quibus redimen-  
dis aptior occasio offerri nequiret, quam si Ordo noster in ipsam  
quoque Hungariam penetraret, ibidemque pro captivorum salute  
atque libertate de propinquuo excubaret. Verum enim verò  
quamvis salutaria hæc consilia eorum pietati blandissimè arride-  
rent, nihil tamen impræsentiarùm tentare voluerunt, veluti  
paucis jam superius insinuavimus, sed continuato in Poloniā  
itinere, exinde mentem suam exactè in Hispaniam perscriperunt,  
Majorésque Ordinis de toto rerum statu, suorumque votorum  
summa accuratè edocuerunt. Illis interim in Polonia agentibūs  
nonà Novembribus hujus anni octogesimi quinti Noster P. Antonius  
a Conceptione Major ac Generalis Minister etate ac laboribūs con-  
fessus vitæ diem clausit extremum; ejus loco sequenti mense De-  
cembris usque ad Generalia Ordinis Comitia in proximum annum  
celebranda vicaria potestate suffectus est Noster P. Petrus a S.  
Michaële.

1685.

In Hungaria  
tunc frequens  
Redemptio-  
nis occasio,

III. Succedit annus orbis per Christum restaurati millesimus  
sexcentesimus octogesimus sextus. In ipso ferè principio, five  
anni limine, id est: in mense Januario Ordo noster per Sedis A-  
postolicæ gratiam insigni nobilitatus est gloriæ monumento: San-  
ctorum videlicet Patriarcharum Nostrorum JOANNIS & FELI-  
CIS Ecclesiasticus cultus ad pias quidem Augustissimi LEOPOL-  
DI Cæsaris preces præmittebatur in Germaniam, eodem tempo-  
re, quô & eorundem Sanctorum Patrum Ordinis Institutum, Re-  
demptio, in eandem Germaniam propagari desiderabatur Aqui-  
larum auspicio longè fortunatissimò. Id verò pronunciatum fuit  
per hoc Decretum: *Sacra Rituum Congregatio ad pias preces Au-  
gustissimi Imperatoris porrectas ab Eminentissimo & Reverendissimo  
Cardinali PIO gratiam benignè extendendo indulxit, ut imposterum  
Officium & Missa Sanctorum JOANNIS de MATHA & FELI-  
CIS de VALOIS Fundatorum Ordinis Sanctissime TRINITATIS  
Redemptionis captivorum recitari, ac celebrari respectivè possit &  
valeat quotannis die festo eorundem Sanctorum sub ritu duplice mi-  
nori in tota Germania, & Statibus Hereditariis Sue Majestatis  
Cesareæ ab omnibus Christi fidelibus utriusque sexus tam seculari-  
bus, quam Regularibus, qui ad horas Canonicas tenentur, ad in-  
star Concessionis alias a Sancta Sede Apostolica factæ pro Hispaniis  
& aliis mundi partibus. Supplicante pariter P. Procuratore Gene-  
rali Discalceatorum Congregationis Hispanæ ejusdem Ordinis etiam  
nomine sue Religionis. Hac die 26. Januarii 1686.*

1686.

Officium &  
Missa SS. pp.  
NN. JOAN-  
NIS & FELI-  
CIS in Germa-  
niā exten-  
duntur.

Decretum  
Sacra Rituum  
Congregacio-  
nis.

IV. Compluti ad V. Idūs Maji Patres in Generali Confessu  
Majorem Ordinis Ministrum eligunt eundem Nostrum P. Petrum  
a S. Michaële; Virum ob singularia merita, & exquisitam

Noviter ele-  
ctus Genera-  
lis Ministrer  
Viennæ Co-  
nobium me-  
ditatur.

1686. prudentiam tanto muneri parem, qui ut primùm Ordinis Gubernacula moderanda suscepit, in id confessim incubuit, ut initia Sacrae Religionis nostræ in Polonia stabiliret, ac simul idoneam quandam rationem inveniret, cuius adminiculò Trinitaria Signa ipsi quoque Germaniae inferret; quod ut certius consequeretur, præstantes quosdam & religiosos viros Româ evocavit, alios per Hispaniam dispersos in procinctu stare jussit, quatenus ad primum natum eò convolarent, ubi major rerum necessitas eorum presentiam desideraret. Quæ dum ille providè in Hispania disponit,

Graves oppositiones in Polonia.

P. Joannes a S. Antonio gravissimis jactabatur incommodis; licet enim Ordo noster Varsavie anno superiore in Regni Comitiis a Serenissimo Rege atque Republica ob Instituti necessitatem ultro-neè fuerit admissus, acriter tamen disceptabatur de loco, in quo Domicilii sedes figeretur; adeò ubique oppositionum procellæ emergebant. Accessit ad miseriarum cumulum P. Francisci a Conceptione selectissimi socii jactura, quem necdum fixò domiciliò

P. Socius obit.

Vig. Eneid. 6.

*Abstulit atra dies & funere mersit acerbo.* Elatus hòc annò Kalendas Maji ætatis suæ annò trigesimò secundò; vir in juventutis flore constitutus, & ob spectabilem probitatem longiore vita dignus; Leopoli in summo Templo S. Crucis Armenorum honorificè tumulatus fuit. Hæc calamitas diu gravissimè fodicaverat Patris animum, meritóque lugebat eum, qui in tot pressuris unicum ejus erat solatium, cuius consiliis acquiescere, cuius denique industriæ, atque impigrâ diligentia sublevatus in tot curarum fluctibus nonnihil interdum respirare potuerat.

V. Verùm, ut plerūmque post horridam tempestatem & funestam noctis caliginem restitui malacia, & rutilantis solis iubar e vestigio subsequi solet, ità & tristissimum hunc casum pedissequa quedam lætitia excepit; devictis námque difficultatum procellis, quæ Patri haðenùs pertinaci furore adversatæ fuerant, suâ tandem constantiâ & prudentiâ effecit, ut Ordo noster Regis interventu Leopoli, quæ eit Roxolanorum Metropolis, situm denique loci pretiò impetraverit, ubi primum in illo Regno nostræ Familiae cœnobium conderetur. Domò, ut fieri potuit, celeriter in usum regularem aptatâ pridie Idûs Julii anni currentis sacra ædicula titu solemini ab Illustrissimo & Reverendissimo D. Opitio Pallavicino Sedis Apostolicæ Nuncio, Ephesino Archi-Episcopo, est benedicta, eodemque die ipsómet ad aras operante Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum collocatum fuit, e suggestu ad populum patrio sermone verba fecit Illustrissimus & Reverendissimus D. Deodatus Trajanopolitanus Electus Episcopus & Archi-Episcopatus Leopoliensis Nationis Armenæ Administrator. Sic prima in Polonia constituta Domus Ordinis ab unico Sacerdote & altero fratre, quem suprà nominavimus, incolebatur, donec tertiâ & decimâ sequentis mensis Augusti ex Hispania eodem submissi pervenissent P. Michaël a S. Maria & P. Joannes a Cruce cum fratre Ambrosio a Jesu. Hi amissi socii desiderium in Patre Joanne utcunque sedabant, & in defuncti locum succenturati partes suas strenuè, gnavitéisque explebant. In hoc illi loco

con-

Leopoli pri-  
ma Domus in  
Polonia habi-  
bitur 14. Jul.

Sanctissimum  
ibidem collo-  
catur, & re-  
liqua solemnis-  
tates.

Ex Hispania  
veniunt Pa-  
tres in sub-  
diuum.

constituti rudem aliquam formabant conventūs ideam, quamvis, ut angusta omnia sunt rerum principia, perpetuū ferè semper jactati sint incommodis. Verū de his me satis, supérque dixisse arbitror; fusior hujus rei narratio patrii scriptoris calamum depositit. Ego ad mesā Historiæ cursum gressus recipio.

1686.

VI. P. Joannes a S. Antonio, quem Domus Leopolensis authorem fuisse diximus, cùm se novis sociorum supplementis auctum videret, satisque cognosceret, P. Michaëlem virum esse novae huic coloniæ provehendæ parem, datis in principio mensis Septembris ad nostrum P. Ministrum Generalem litteris missionem petiit, & facultatem in Hispanias remeandi flagitavit, causatus afflictam valetudinem, & attritas vires sibi impedimento esse, nè demandatam provinciam diutius sustineret. Ut autem Nostrum P. Generalem certius in suam sententiam pertraheret, suisque precibus inclinaret, pollicitus est, se in transitu per Austria operam daturum, ut Viennæ Ordinis nostri coenobium exurgeret, cùm ibidem non minor Redemptoris Instituti vigeat necessitas, quām in Polonia, idque ob assida bella Augustissimi Cæsarum cum Ottomannis, quorum violento impetu innumeris propemodum Christiani in Turcarum, aut Tartarorum captivitatem devolvantur. Noster P. Minister Generalis, et si probaret suadentis propositum, ægrè tamen adduci potuit, ut in ejus redditum consentiret, quòd ejus operā in præsenti vel maximè indigeret ad firmandas res Polonicas, aliósque jam mente delegisset, quos Viennam ad plantandam Fundationem mittere decreverat. Consensit tamen propè invitus, & datis ad eundem litteris die quarta & decima Novembris ejus curæ commisit, si fors quidpiam in transitu Viennæ ad promissum effectum deducere posset, sibi gratissimum fore.

P. Jonnes a  
S. Antonio in  
Hispaniam re-  
dire desiderat.

Viennæ De-  
mūs funda-  
tionem tenta-  
re promittit.

Ægrè conser-  
tit N. P. Ge-  
neralis,

VII. Sequens annus millesimus sexcentesimus octogesimus 1687. septimus inter consilia & conatus ut plurimū exactus fuit. P. Joannes a S. Antonio, quam primū per anni tempus proficiisci licuit, Viennam demigravit. Id protinus ut Romæ pervulgatum est, approbationem non meruit; inter amicos etiam neutrum ex decoro visum fuit recentem in Polonia Ordinis plantiam subito deseruisse. Quæ res Patres, Thomam nempe a S. Josepho & Maurum a Conceptione permovit, ut in ejus vicem substitui peroptarent, si juberentur, in Poloniam promptè ejus loco demigraturi. Id cùm Noster P. Minister Generalis intellexisset, multum eō nuntiō exhilaratus fuit, quòd reperti sint, qui hanc sibi provinciam ultrò deposcerent excolendam, laudavitque litteris die vigesima Martii Madritō Romam perscriptis, quibus eos ulteriora mandata p̄estolari jussit, simūlque decrevit, ut P. Joanni a S. Antonio plena negotii procurandi potestas Viennam transmitteretur, si, quod metuebat, P. Joannes a S. Augustino (quem huic muneri maximè admotum voluisset) ingra- vescens obtentu hujusmodi expeditionem a se amoliri

Viennam mi-  
grat, quod  
multi non  
probant, alii in  
Polonia sub-  
stitui per-  
optant.

Viennæ fun-  
dandi facultas  
eō mittitur.

1687. niteretur. Aliis verò litteris die decima septima Aprilis exaratis  
Vienensis  
Fundationis  
desiderium. iisdem Patribus impediò commendavit, ut nullis laboribus aut  
 industriae parcerent, quatenus Ordo Viennæ stable quoddam  
 cœnobium adipisceretur. Cæterum Romæ, cum P. Joannes a  
 S. Augustino se ad hoc iter designatum cognovisset, illicò paruit,  
 seseque cum P. Thoma a S. Josepho ad instantem hanc profectio-  
 nem paravit. Adeò procul vir ille charitatis zelô plenus ab om-  
 ni tergiversationis periculo aberat, ut ipse ultrò ad laboriosam  
 hanc Spartam subeundam propenderet, nihilque magis in votis  
 haberet, quam ad primos Superiorum nutus Viennam confestim  
 advolare. Religiosos hos duos viatores suis etiam litteris Reve-  
 rendissimus P. Dominicus Maria de Marinis post Defunctorum Ca-  
 rolum Noyelle Societatis JESU substitutus Vicarius Generalis  
 comitari voluit, scripsitque ad Reverendum P. Adamum Aboëdt  
 Austriacæ Provinciae Societatis JESU Praefectum his verbis:

### Reverende in Christo Pater!

Eiusdem Epis-  
tola.

**O**ptatissimam mihi præbent occasionem experiendi Reverentia ve-  
 stra studium atque observantiam Reverendi & Religiosissimi  
 Patres ex sacro Sanctissimæ Trinitatis Ordine de Redemptione ca-  
 ptivorum P. F. Joannes a S. Augustino & P. F. Thomas a S. Jo-  
 sepho, qui hinc Viennam pergunt Sacri sui Instituti fundamenta  
 posituri, daturique principium in peropportuna Sacri Belli contra  
 infideles expeditione. Hos mihi omni officiorum genere colendos  
 atque afficiendos sumpsi, ut potè Societatis nostræ amicissimos aman-  
 tissimosque nostrum; quod luculenter ac maximè nobis proficuìs ar-  
 gumentis sapiùs habuimus exploratum, atque adeò illos tantò im-  
 pensius Reverentia Vestra commendo, quanto plus meriti habent il-  
 li, & quò majoris debiti memoriam tenemus, ut officiis nostris at-  
 que obsequiis ubicunque locorum dignissimos existimemus. Quod-  
 cunque autem Reverentia Vestra in illos studium exiterit, hoc  
 que illis, quà consilio, quà auxiliò præstò fuerit, id mihi longè  
 gratissimum existet, ac commendationi meæ exhibitum ex propen-  
 sa Reverentia Vestra in me voluntate putabo: ut verò sit amplis-  
 simum, hisce postulo, ac me sanctissimis Reverentiæ Vestre sacri-  
 ciis impensè commendo. *Rome 20. Aprilis 1687.*

### Reverentiæ Vestræ

*Servus in Christo*

Dominicus Maria de Marinis

VIII. Etsi verò harum latores litterarum tantoperè commendi fuerint, justis tamen de causis, variisque subinde vicissitudinibus agitati illis litteris uti minimè potuerunt. Enimverò P. Joannes a S. Augustino propè finem hujus anni (ut infrà dicetur fusiùs) incomitatus Viennam migravit; P. Thomas autem primùm in Poloniam, nunc Viennam destinatus Romam deinceps, multiplici remorâ sufflaminatus, nunquam fuit egressus, ubi virpius ad summam pervenit senectutem, ibidem vitâ functus secundâ Octobris anno millesimo septingentesimo vigesimo septimô etatis annorum octo & octoginta, ex quibus totis quinquaginta cœnobium S. Caroli ad Quator Fontes incoluit. Insuper quia hōc eōdem anno per noviter electum Societatis JESU Præpositum Generalem Reverendissimum P. Thyrsum Gonzalez, nostri quoque Sacri Ordinis studiosissimum, aliis epistolis ad suæ Societatis Patres Viennam dandis in nos affectus commendationibüs denuò instaurari poterat, hinc illa superius inserta epistola in usum non servavit; asservatur tamen ejus autographum in scriniis Romani Archivi S. Caroli ad Quatuor Fontes, ipsam verò huic operi attexere placebat, quia diligentis Historici munus est hujusmodi monumeta litteraria sedulò colligere. Præterea quod caput est: hinc manifestè clarescit negotium obtineñdæ Fundationis sub cura P. Joannis a S. Antonio dubiis admodum, incertisque gressibüs processisse; ut proindè, cum res pro tempore ad votum non succederet, veluti plerique non ex vano augurabantur, quod deindè etiam eventus confirmavit, ipse P. Joannes a S. Augustino cause hujus apud Aulam Cæsaream Procurator Generalis jam designatus P. Joanni a S. Antonio in Hispanias abituriensi mature succenturatus sit. Hæ observationes, quia majorem Historiæ lucem conciliant, nequaquam prætermittendæ videbantur.

IX. Interea memoratus P. Joannes a S. Antonio Viennæ ab adventu suo minimè fuit otiosus, sed omnem movit lapidem, ut causam suam recte constitueret. Imprimis Burgomainium in Aula Cæsarea Regis Catholici Oratorem frequens adivit patria cum fiducia, cuius ope consilioque vicissim juvaretur; præterea ut aliorum quoque Aulicorum Procerum sibi conciliaret favores & gratiam, Bonvissum S. R. Ecclesiæ Cardinalem Sedis Apostolice Legatum accessit, eidēque maximo, quo potuit, fervore cause negotium supplex commendavit. Idem egit apud Cardinalem Kolloniczium, virum insignis pietatis, erga pauperes beneficissimum, præprimis autem misericordiâ in Christianos sub immannissima Turcarum servitute gementes captivos jam per omnium ora, & super æthera notum. Utrique Cardinalium a Summis Viris e Polonia Epistolas commendatitias attulit. Item frequens erat apud Excellentissimum Comitem Harrachium in Cæsaris Aula primæ Dignitatis Ministrum veterem nostrum Fautorem, qui cum prius ante aliquot annos LEOPOLDI I. Romanorum Imperatoris Nomine apud CAROLUM II. Regem Catholicum Legatione functus fuisset, & Madriti ex lectissima conjugे Joanna comite de Lamberg filiam suscepisset, accidit, ut eodem die

1687.  
Notæ in præcedentem epistolam. Fā uti non valeant ob mutatas circumstan-  
tias,

P. Thomas  
Romam non  
egressus, obit  
2. Octobris  
1727.

Thyrsus Gon-  
zales eligit  
Præpositus  
Generalis  
Soc. JESU.

Singulare  
precautio.

Observationes  
ad majorem  
Historiæ lu-  
cem.

Viennæ præ-  
tendit Funda-  
tio.

Eius primi  
& præcipui  
Fautores.

Comitem  
Harrachio-  
rum in Ordin-  
em favor.

Filiæ eorum-  
dem in baptis-  
mate confü-  
tuitur Patri-  
nus frater  
ex nostris.

1687. Laicus quidam, ut vocant, Nostræ Religionis frater stipis corrigandæ causâ ejus palatum ingrederetur, quem Excellentissima Puerpera actutum accersivit, eum denique in levanda ex Iuistro fonte Filia patrini munus sustinere voluit, quod ille etiam summa omnium gratulatione cum licentia Superiorum suorum præstisit. Rosæ nomen regeneratæ inditum, quæ, dum ista litteris consignamus, etiamnum superstes vivit, & ut diu prosperetur, precamur, Princeps vidua de Longavalle Heroinarum una, & nobilissimæ Stirpis suæ Decus. Porro Excellentissimæ hujus Domus Patrociniō, collatisque in nos favoribūs nostra potissimum initia stetere, nec pauca incrementa accesserē, quemadmodūm inferiūs non infrequenter cum perpetua gratiæ mentis testificatione in suis locis sumus commemoraturi.

Ab imperatore facultas petitur Viennæ fondandi cœnobium.

X. Bonvīsum, Kolloniczium, Burgomainium & Harrachium, hunc Summum Quatuor-Viratum secuti sunt complures e prima Nobiliūm Classe parī benevolentia & faventis animi propensione erga nostrum Ordinem affecti, quorum patrociniō erectus Pater ad Clementissimi Cæsaris affatus admitti desideravit, quod etiam horum Procerum operā adjutus facile obtinuit. Admissus ante Solium Sacræ Majestatis Summam votorum suorum modestè proposuit, enixissimisque precibūs flagitavit, ut Augustissimus Imperator in amplissimis Austriacæ Domus Hæreditariis Provinciis Redemptionis captivorum Institutum ad populorum salutem & solatium implantari sineret, illudque Regia sua protectione fovere dignaretur. Augustissimus Imperator suāpte ad omnia, quæ pietatem, Deique gloriam, aut Christianæ Reipublicæ salutem concernunt, pronus benigno responsō animum ad favores inclinatum testatur. Ex quo supralaudatus Pater haud obscurè divinare potuit, se opportuno tempore desideriorum suorum compotem futurum. Majore hinc spe animatus expeditionis suæ optatum præstolatur exitum moræ prægaudio propemodūm impatiens.

SS. Pontifex oratus eadem de causa ad Imperatorem litteras expeditivit.

XI. Maturando negotio idem calor & studium Romæ fervebat; præterquām enim, quod suprà memorati Patres se in hanc expeditionem pararent, Pater etiam Procurator Generalis Sanctissimi INNOCENTII XI. Pontificis Maximi throno advolutus Sua Sanctitati exposuit, Leopoli in Polonia cooptam jam esse Ordinis Domum, sperari exindè uberrimos fructus albescente jam messe: apud Regem & Optimates plurimū contulisse Sedis Apostolicæ, cuius essent observantissimi, Suffragium. Ejusdem Instituti necessitate laborare Germanicum Imperium. Magnam in Cæsaris pietate repositam esse spem, hoc tam salutare Institutum ejus quoque Ditionibus implantandi. Petiit itaque, ut Summus Pontifex piæ cause patrocinari, eamque Sua Auctoritate interposita provehere vellet. Sanctissimus Pater, cui nihil antiquius, quām providere bona coram DEO & hominibus, Supplicis Oratoris preces non finit abire vacuas, jubetque ea de causa ad LEOPOLDUM I. Romanorum Imperatorem Apostolicas in forma Brevis, ut vocant, expedire Litteras, quibūs præsens negotium sequentibūs ursit:

Cha-

**Charissimo in Christo Filio Nostro Leopoldo**  
**Hungariæ & Bohemiæ Regi Illustri, in Romanorum**  
**Imperatorem electo.**

1687.

**INNOCENTIUS PAPA XI.**

**C**harissime in Christo Fili Noster: Cùm Professores Ordinis Discalceatorum arctioris observantiae Sanctissima Trinitatis vehementer cupiant Ordinem ipsum in Ditionibus Majestatis Tuae subjectis propagare, quô latius ad redimendos ab infidelium manibus captivos se effundant, Nostrarum esse partium duximus, ejusdem Ordinis Professores, qui isthuc advenient, impensè Tibi commendare, atque a perspecta, tòtque præclaris comprobata documentis pietate Tua etiam, atque etiam petere, ut tam præclarum opus optatum ad exitum perduci cures, præstantibus Tuis in Rem Christianam meritis novum hunc & quidem non levem cumulum adjicias. Votis autem hac de re nostris apprimè Teresponsurum planè Nobis pollicentes Majestati Tuae Apostolicam Benedictionem amantissimè impertimur. Datum 3. Maii 1687.

Breve Summi Pontificis  
INNOCENTII XI.

XII. Pontificium hoc Breve ad Sacram Cæsaream Majestatem per Eminentissimum D. Franciscum Bonvistum Cardinalem, Viennæ Sedis Apostolicæ Legatum, dirigi oportebat. Unde Alderanus Cybo Sacri nostri Ordinis Cardinalis Protector suas quóque ad eundem Legatum litteras exaravit, quibüs Suæ Sanctitatis voluntatem insinuavit, his ferè verbis, quæ ex idiomate Hetrusco in latinum transtulimus: Patrem nimirùm Procuratorem Generalem Ordinis Excalceatorum Sanctissimæ Trinitatis de Redemptione captivorum suæ Religionis nomine discupere aliquot in Imperio fundare suæ Familiaæ cœnobia, in hunc finem Sanctissimo Domino nostro supplicâsse, ut dictum ordinem apud Cæsaream Majestatem commendatitiis litteris adjuvare dignaretur. Beatitudinem Suam in opere tam religioso, tam pio, & præsertim, pauperibus captivis Christianis sub Barbarorum jugo detentis, tam favorabili & proficuo, ut eorum precibus benignè annueret, inclusum Breve ad eandem Majestatem scripsisse. Placeret proindè Eminentiae Suæ idem ad ipsius proprias manus deferre, atque aptissimis efficacibüsque verbis causam comitari, quæ ipsi magna ejus haud difficulter esset suggestura prudentia. Sibi quidem, ut ejus Ordinis Protectori præcipue id esse curæ, tam Sancti Instituti propagationi totis viribüs intendere, undè licet supervacaneum existimaret preces suas suæ Eminentiae patrocinio conjungere, se tamen omnimodis paratum esse ad conferendam suam qualemcumque operam. Sperare itaque pro ejus in se favore, Eminentiam Suam ad effectum cooperaturam præstituramque

Card. Cybo  
idem Breve  
Viennam  
cum litteris  
mittit.

1687. omne cum auctoritate patrocinium , veluti Patres isthuc delegati ob eundem finem coram eo sint comparituri.

XIII. Cardinalis Protectoris litteræ , *Brevis* Pontificii uberes testes & fidei comites tam diu Romæ asservandæ erant, donec de iisdem P. Joannes a S. Antonio Viennæ edoceretur, quatenus sollicitâ industriâ iis recipiendis invigilaret , easdémque ipsemet Cardinali Bonvisio ad proprias manus consignaret. Constat illos sub idem tempus de introducendo Ordine nostro frequentia invicem consilia agitâsse. Cardinalis Bonvisius in id toto conatu propendebat, ut in Hungariam Sacer Ordo noster ac Institutum promoveretur, quòd Regnum illud non pridem a Mahometanis magna ex parte diúque priùs obseßum, nunc verò armorum prospéro successu postliminiò Cæsari vindicatum magnâ Religiosorum hominum penuriâ laboraret, ac præterea ob arctissima cum Turcico Imperio confinia ingens exercendæ Redemptionis theatrum aperiret : interim verò istud efficeretur, ut Ordo noster per aliquot annorum curricula Viennæ hospitium sortiretur, donec in Hungaria unius , aut alterius conventûs Fundatio ad coronidem perducta fuisset. Etsi verò id consilium P. Joanni a S. Antonio minimè arrideret, quò sua desideria in longum tempus comperendinati videbat , satisque agnosceret, conventum aliquem in Hungaria ægrè stabilitum iri, nisi Viennæ priùs cœnobium aliquod fundaretur, dissimulabat tamen, ejusdémque sententiæ assensum præferebat , ne Cardinalem in suo proposito obfirmatum contrariis rationibüs lacefferet, & exasperaret, ac ipse unius, alteriusque spe penitus excideret, vel importunè Cardinalem irritâsse crederetur.

Rationes con-  
tra rite silentio  
premuntur.

Responso  
Card. Bonvisii  
ad Card. Al-  
deranum.

XIV. Appulere tandem Româ Litteræ cum Pontifícia ad Cæsarem commendatione in tempore , pro quibus recipiendis præmonitus fuerat P. Joannes a S. Antonio. Has Pater ad Cardinalem deferens earum effectum anxiis desideriis expectavit. Quæ demum earundem Litterarum occasione acta fuerint, ex ipsius Bonvisii ad Alderanum responsione die sexta Julii expedita genuinè dignoscuntur. Scribit enim : Patrem quendam Hispanum e Trinitariis Discalceatis Redemptionis captivorum altera die sibi *Breve* Sanctissimi Domini ad Cæsarem cum ipsius Eminentiae epistola ad se perscriptam præsentâsse , in qua monebatur suum præstare patrocinium sacro huic Ordini desideranti per Hungariam ad pauperum captivorum Christianorum solatium propagari. Commemorat deinde , se ab ipso Patre antehac aliquoties fuisse convenutum. Probè se cognovisse magnas utilitates , quæ indè profecturæ sint, adeoque omnem ad hoc spopondisse opem , ac cœpisse jam aliquomodo complanare negotium: Accedentibüs verò nunc Suæ Sanctitatis cum ipsius Eminentiae , ut Ordinis ejusdem Protectoris , venerandis mandatis , confessim Cæsareæ Majestatis se petivisse alloquium , exhibuisse *Breve* Apostolicum, & hoc efficacibüs fulcivisse rationibüs , & quidem his potissimum inter alias plures , quòd nimirūm, et si secundissimæ contra Turcas sperentur expugnationes , eosdem semper tamen fore limitaneos , &

con-

Card. Bonvi-  
sus consultit  
ordinem in  
Hungariam  
debet propa-  
gari.

1687.

confinia perpetuis excursionibus pacis etiam tempore infestaturos, veluti etiam prioribus temporibus compertum habebatur; unde necessarium esse, pro illiusmodi redemptionibus propè & ad manus habere mediatricem Religionem istam; nam ita nostratum quóque facilior reddetur eliberatio, quin Turcis patefiat dignitas, aut conditio captivorum, quæ cognita maxime impedit, vel certè retardat redēptiones. Item aliam de ipsis Turcis utilitatem resultare, dum nimirū hi capiuntur, si mediantibus his Patribus pro Christianis commutarentur. Verū tamen existimabat necesse, ut hæc Religio in Hungaria fundaretur, & consecutis aliquando armorum induciis propter idem captivorum commercium etiam Constantinopolim introduceretur. Suam Majestatem probasse omnia; ad stabiliendam verò aliquam Fundationem solum opposuisse mediorum ob præsentia bella penuriam. Huic autem se respondisse ad Patris sententiam, sufficere in præsenti, si concederetur ipsis facultas locum propriis sumptibus comparandi, quō interim subsisterent, donec eisdem de bonis, ut vocant, *fiscalibus* aliquid provideretur. Et hoc idem Suam Majestatem in bonam partem recepisse. Subjungit demùm: æquè necessarium fore, veluti hoc ipsum Patri significaverat, ut sua Eminentia tanquam hujus Ordinis Protector a cœnobiis Hispaniæ aliquam licet modicam contributionem impetraret, quā interim habitatio conduci, tum aliquot religiosi quatuor aut quinque annis sustentari possent, donec possessio acquirēndorum prædiorum stabilita fuerit; tali siquidem modō fundationem brevi consurrecturam, & majora indies incrementa sortituram. Totam denique suam epistolam his verbis concludit: *Existimo inter omnia cætera Instituta hoc magis necessarium esse in Hungaria, velut idem in Polonia fuerat recognitum.*

XV. Sub idem tempus Noster P. Petrus a S. Michaële Minister Generalis pro sua in Ordinis augmentum solicitudine ac desiderio crebra in hunc finem cœpit agitare consilia, adaptare media, conquiri præsidia. Inter cætera autem, quæ in mentem venerant, censuit maximum huic prætensioni fulciendæ momentum allaturum, si patrociniō Serenissimæ Dominae Mariæ Annæ de Austria, Hispaniarum Reginæ Matri, & Augustissimi LEOPOLDI I. Romanorum Imperatoris fororis foveretur; Hujus enim intercessiōnem ob proximam, quā Cæsarem attingebat, sanguinis necessitudinem, facile augurabatur longè efficacissimam fore. Ad Hanc itaque Noster P. Generalis Minister se contulit, eidēque plenam pietatis causam exposuit. Nec cunctata illa, sed quo erat in omnem de Re Christiana benè merendi occasionem studiō intenta, litteras confessim in favorem Ordinis exaravit, quibus Ipsa Augustissimo Fratri confidenter insinuavit Patrum Excalceatorum Santissimæ TRINITATIS de Redimendis captivis laudabilem vitæ conversationem, publicam Doctrinæ famam, & exindè in populum redundantia animarum emolumenta. Gravissimis deinde verbis Redemptionis Institutum commendavit, Cæsarēque majorem in modum rogavit, veller hunc salutarem Ordinem Viennæ

Sereniss. His-  
pan. Reginæ  
Matri que-  
runtur præsi-  
dia.

1687. suæ implantare, ibidémque stabilire, & perpetuūs gratiis ornare. Opus id fore DEO gratissimum. Pollicita, eum brevi in suis Dictionibus uberrimos illos fructus visurum, quos Ordo iste hacēnūs in Regnis Hispaniarum cum ingenti omnium hominum approbatione protulerat. Hæc Germano-patriâ lingua significata celeri nuntiō ad Cæfarem deferuntur.

## C A P U T V.

*Ad impetrandam Viennæ domūs Fundationem plura  
queruntur præsidia; irrito primo conatu Hospi-  
tium prætenditur.*

P. Joanni a S.  
Ant. Socius  
datur P. Mau-  
rus.

Marcus cap.  
G. v. 7.  
Lucas cap.  
Io. v. 1.

Romæ tem-  
pus mutatio-  
num pericu-  
losum itine-  
rantibus.

Litteræ com-  
mendatitiae  
impetrantur.

I. **L** Ocorum distantia impedimento fuit, nè pressius negotia transfigerentur. Parcius, aut tardiūs per nuncios de actis edocebatur Noster Pater Generalis Minister; latebat ipsum æquè, an seriūs, aut citius P. Joannes a S. Antonio redditum, de quo jam non ambigebat, in Hispanias maturaret: divinandum itaque fuit potius, quam certi aliquid statuendum. Utut res se haberet, neutiquam Ordini decorum esse censebatur, ut religiosus, et si probatissimis moribūs præditus, compita solitarius obambularet, & in Aulis Principum compareret absque socio, cùm ipse Cœlestis Magister discipulos suos binos ad prædicationem Evangelii miserit; ut videre licet apud Sanctos Evangelistas Marcum & Lucam. Atque hac ratione inductus quintā & vigesimā mensis Junii Noster P. Minister Generalis Romam scribit & mandat, ut P. Maurus a Conceptione omissa in Poloniā profectione absque mora Viennam abiret, ibidémque socium ageret P. Joannis a S. Antonio, quamdiu ibi hic idem esset moram facturus. Si verò iste Viennā jam excessisset, P. Joannem a S. Augustino, cum plena Generalis Procuratoris Auctoritate illi substitutum comitaretur. Idipsum per aliam epistolam die decima Julii expeditam inculcans repetiit. Hæ litteræ Romam pervenerunt in summo æstu caniculae, quo Syrio ardore omnia torrentur. Romani hoc tempus mutationem vocant, vulgatāque opinione persuasum habent, nulli absque vitæ, vel salutis discrimine integrum esse urbem excedere, aut locum mutare. Ideoque P. Maurus amicorum consiliis atque precibūs, accedente quóque Superiorum jussu modicum ultra mensem subsistere coactus fuit. Sed ne hoc tempore desidiosa statione torperet, animum adjecit ad comparanda præsidia & adminicula, quibūs negotium istud in melius provehi posse confidebat. Unde, cùm ad Cæfaris Aulam se migraturum nosceret, ab Eminentissimo Principe Carolo Pio Cardinali Episcopo Sabinensi Romani Imperii & inclytæ Nationis Germanicæ, nec non Hæreditariorum Domūs Austriacæ Statuum Protectore, pro sua, quā pollebat, apud Cæsareos Ministros Auctoritate, favorem litteras impetravit. Parī studiō incitatus ad Reverendissimum P. Thyrsu González de Santalla, qui non ita pridem

Præ-

1687.

Præpositus Generalis Societatis JESU renunciatus fuerat, se contulit, ut ei ante ingressum itineris officiosè valediceret. Hic, ut optimè noverat, quām arctō charitatis vinculō Familia Trinitaria Laudatissimæ Societati semper obstricta fuerit, & quām tenaciter ejus Doctrinis adhæserit, eásque nunquam non strenuè ac mordicūs propugnaverit, non modò suscepti itineris rationem probavit, verū ad primos quoque e Societate viros, Viennæ tunc existentes, litteras dedit, quibūs Ordinem nostrum ingentibūs præconiis extulit, ejusdēmque curam illis Patribus impensis commendavit, monens, ut sua ope, ac industriâ incrementis ejus invigilarent, efficerentque, quatenus nostri tam apud Cæsarem, quām apud reliquos Aulæ Viennensis Proceres felicem negotiorum suorum successum consequerentur.

II. Placuit autem easdem epistolas honoris causâ, & in grati animi memoriam huic narrationi inserere, ut constet posteris, quām utilitatis res sit cum omnibus Religiosorum Ordinibus sinceram amicitiam colere. Hoc nāmque pactō veros nos esse Christi Discipulos probamus, si dilectionem habuerimus ad invicem. Et sanè virtus unita fortior evadit, validioreque robore insidias Satanæ proterit, dum eas junctis lacertis aggreditur. Nihil porrò antiquius fuit in Sacro nostro Ordine ac stabilitum magis, quām suspicere DEI servos, ac revereri eorundem Regularia Instituta. Nec immeritò; sic enim bonus odor Virtutis & exempli latius in populo effunditur, præcaventur scandala, & in Sanctis suis DEUS glorificatur. Sed neque hic primitus Inclita JESU Societas Litteris mutuam suam erga Ordinem nostrum dilectionem testata fuerat; idem nāmque, ut superius retulimus, suō calamō præstítit, qui P. Thyrsum proximè in supremo Societatis Magistratu præcessit, cuius haud obscura mentio in exordio sequentium litterarum occurrit. Unde, si quid meæ sententiae tribuitur, prudentissimè nostri fecerunt, quod similibūs industriis res suas stabilire conati sint. Sed tempus urget, ut jam ipsas epistolas in conspectum proferamus, quarum prima fuit, quam nunc subjicio.

Mutua inter  
Sacros Ordines  
dilection  
fusdetur.

### *Epistola I. Ad Reverendum P. Christophorum Stettiner LEOPOLDO I. Romanorum Imperatori*

*a Confessionibus.*

Reverende in Christo Pater!

**E**T si non ignorem, a Decessore meo fuisse peramanter commendatos Reverendos Patres Ordinis Excalceatorum Sanctissimæ Trinitatis redimendis a barbarorum servitute Christianis captivis vacantes; Vestram Reverentiam verò omni, quā potuit, operā eorum consiliis favisse: iterum eos Reverentiae Vestre commendare mihi nihilominus est visum. Necessarium quidem id minimè duxerim,

1687. ut Religiosissimæ Familia favorem Reverentiae Vestrae conciliem : quod sciam, ad hæc officia nec esse Reverentiam Vestram provocandam , cùm ad ea suâ sponte , & Antecessoris mei commendatione sit prona : sed ideo fecerim , ut mihimet faciam satis. Neque enim ex aliis audiui , sed ipse expertus sum in Hispania , quot, quantaque debeamus hujus Illusterrimi ac Sanctissimi Ordinis Sodalibus , uti sanè , at in Hispania potissimum , ubi frequentiores sese obtulere occasiones , de nostra Societate egregie meritis. Rogo proinde Reverentiam Vestram , & , quò possum , majori studio , ut de Viris Optimis optimè velit mereri , tum apud Augustissimum Cæsarem , tum apud Cæsareæ Aule Magnates & Administros , horum animos illis conciliando , ut Instituti Sui Domiciliis in Cæsareis Ditionibus in Hungaria præsentim constitutis Rem Christianam piis exercitationibus , ac Redemptionem captivorum a Christiani Nominis hostium potestate possint indies promovere. Me verò Sanctis Vestrae Reverentiae Sacrificiis impensè commendando , eamque studiosissimè saluto. Roma  
26. Julii 1687.

## Reverentia Vestrae

Servus in Christo.

Thyrsus Gonzalez.

Sequentes epistolæ in eundem finem & ab eodem Reverendissimo Patre Thyrsi signatae sunt mense posteriore , die Assumptæ in Cœlum Virginis DEIPARÆ. Plures námque , ut Romanæ Curiae pharsi loquar , compulandi censemebantur , qui expeditio- nis hujus negotiorum serio sibi cordi sumarent , & viritim ac con- fœderatis Symbolis proveherent. Sunt autem antecedenti epistolæ suis expressionibus , affectuque non dissimiles , ut protinus videbimus.

## Epistola II. Ad Reverendum P. Balthasarem Müller ELEONORÆ Augustæ a Confessionibus.

Reverende in Christo Pater !

**N**overit , opinor , Reverentia Vestra , postremis temporibus ist-  
huc venisse Reverendos Patres Excalceatos Ordinis Sanctissimæ Trinitatis , ut in Ditione Cæsarea Suæ Familia Domiciliis con-  
stitutis vacare facilius possint juxta Sanctissimi Sui Instituti ratio-  
nem Christianis a barbarorum captivitate redimendis. Ego verò  
cupio summoperè , ut Societas nostra , de qua ipsi egregie meriti sunt ,  
omnem , quam potest , operam ad eorum consilia promovenda conferat.

Quæ

*Qua in re Reverentiae Vestrae opem imprimis profuturam Religiosissimis viris mihi jure persuadeo: præsertim cum ipse facile possit iis conciliare Augustissimæ Imperatricis animum ac patrocinium. Ut id faciat, perimpensè ego postulo, tum ad Divinam gloriam ampliandam, tum ad rependendas, quas possumus, vices Sanctissime Familiae, quæ nostris non levia contulere beneficia. Spero autem fore, ut Reverentia Vestra aliquid commendationi meæ tribuere velit, ac me Sanctis ejus Sacrificiis commendo.* Rome 15. Augusti 1687.

1687.

Reverentiae Vestrae

*Servus in Christo.*

Thyrsus Gonzalez.

*Epistola III. Ad Reverendum P. Michaëlem Mayr  
Præpositum Domus Professe Viennæ.*

Reverende in Christo Pater!

*S*I cui Religiosæ Familiae obnoxia est Societas nostra ( pluribus autem obstrictam esse novimus omnes ) debet quam plurimum Sacro Ordini Reverendorum Patrum Excalceatorum Sanctissimæ Trinitatis, quos Deus Ecclesiæ Sua dedit in Christianæ Charitatis exemplum. Tot enim benevolentiae argumenta in nos contulere Viri Religiosissimi, ut occasionem de nobis benè merendi visi sint provocasse; quasi leviter se amare nos crederent, si eas tantum arriperent, quæ se sponte, vel fortuitò obtulere. Cum par de nobis optimè meritis referre non possimus: opto sanè vehementer, ut eâ, qua poterimus, ratione gratias referamus. Quoniam verò opportunitas facile sese dabit id præstandi hisce temporibüs, quibus Sanctissimi hujus Ordinis Sodales in Ditione Cesarea Domicilia stabilituri sunt, quò facilius redimendis a Turcarum potestate captivis Christianis juxta Sanctissimum Institutum suum vacent: a Reverentia Vestra pe-to impensè, ut operam suam accommodare his velit, ac piis eorum conatus favere diligenter. Id verò enixè curaturam Reverentiam Vestram spero, ac me Sanctis ejus Sacrificiis commendo. Rome 15. Augusti 1687.

Reverentiae Vestrae

*Servus in Christo*

Thyrsus Gonzalez.

1687. Epistola IV. Ad Reverendum P. Franciscum Vogl-  
mayr Rectorem Collegii Viennensis.

Reverende in Christo Pater!

PLurium opem advocandam censui, ut quam plurimis beneficiis in nos collatis a Sacro Ordine Patrum Excalceatorum Sanctissime Trinitatis saltē aliqua ex parte vices rependere possim. Ostendere ipsi, quanti nos faciant, quantoque in nos amore ferantur, cum causam nostram suam esse voluerē semper. Vellem ego vicifim, ut eorum causam nostram faceremus, cum Religiosissimi Viri Instituto suo isthīc stabiliendo operam navant, quā possint facilius a barbarorum potestate Christianos Captivos redimere. Pergratum mihi sanè erit, si Reverentia Vestra totis adlaboret viribus ad ea præsidia Sacri hujus Ordinis Sodalibus advocanda, quæ ipsis in rem tantam erunt necessaria: ac me Sanctis ejus Sacrificiis enixè commendō. Rome 15. Augusti 1687.

Reverentiæ Vestre

Servus in Christo

Thyrsus Gonzalez.

In Ordinis no-  
stri scholis  
Doctrina So-  
cietas defen-  
ditur, inde  
mutuum  
amor.

Thyrsi testi-  
monium.

III. Talibūs elogijs Supremus Societatis JESU Moderator Ordinem nostrum mactavit, quibūs id potissimum egit, ut nostra desideria suis epistolis, ceu blandissimis quibūsdam Favoniis in optatum portum proveheret. Neque huic suæ in nos benevolentiae semel duntaxat scribendo litavit, sed crebrioribūs postea litteris, in hunc finem exaratis, idipsum instanter urgere perrexit. Quod si nunc autem aliquis scire desideret beneficia, quæ insignis Vir iste ab Ordine nostro in Societatem collata fuisse asseverat, arbitror, eum præcipue designasse perpetuam Doctrinæ consensionem, approbationem, propugnationem, & natum indè ex studiorum parilitate amorem mutuum, quō ambæ hæ Religiones se invicem semper suavissimè sunt complexæ. Quod ego tanto confidentius affirmo, quanto certius constat, quod Reverendissimus P. Thyrsus in suis doctissimis Commentariis, quæ de Theologica Disciplina Salmanticæ evulgavit, idipsum prolixè testatus fuerit, cuius propria verba ex Tomo 2. Parte 2. Disputatione 4. §. 25. numerò 418. ad litteram referre juvat, quibūs Societatis Doctrinam ab auctoritate ita commendat: *Ex Sacra Trinitatis Familia, inquit, nullius Doctoris verba referre statui, cum satis constet, quantum Societas nostra, ejusque Doctrina illustretur hujus splendidissime Religionis suffragio, in qua tot viri ingenio & doctrinâ prædicti floruerē, ut quamvis nullam aliam externam autoritatem nacta esset*

effet Scientia Media, hoc solò titulò commendatissima foret: nihil enim in sententia nostræ præsidium conciliari potuit validius, nihil utilius, nihilque ingeniosius & elegantius. Quod equidem Societas nostra probè agnovit, & non sine grato animi affectu meditatur: cùmque Inlyta hec Familia eximiâ charitate alios e durissima servitute catenisque vindicet; nos tamen in servitutem dulcissimæ gratitudinis vinculis redigit, eò quòd ipsa pro religione adstringi voluerit Doctrinæ nostræ defensandæ & exornandæ. Acriter námque & validissimè pugnat contra sententiam Thomistarum & R. P. Magister Marcus Antonius Alos & Oraca parte 1. Selectarum Disputationum in 2. cap. 5. §. 7. num. 221. & 222. Et etiam in Lettione de Scientia DEI. Disput. 5. Sect. 5. num. 374. Balthasar Paëz in Canticum Moysis textu 29. annotatione 5. pag. 361. Venerum gradum sisto in recensendis hujusmodi Sacri Ordinis Doctoribus, cùm omnes uno agmine Doctrinam Societatis ingenio simul & Authoritate efferant. Et in hoc Salmantino Lyceo habuimus semper, imò & habemus nunc florentissimos Recentiores, quibüs supra modum commendatur Scientia Media, Doctrinaque Societatis. Unum tamen omittere non possum ex Excalceatorum sacro germine R. P. Emmanuelem a Conceptione in hoc suo Salmanticensi Collegio Theologiae Scholasticae Primarium Lectorem, ibidem Ministrum, qui universam Philosophiam in tria egregia volumina distributam publicæ utilitati, publicæ & acclamationi dedit: Philosophia námque arduas, selectasque difficultates acutè, ac clare solvit, vulgarèisque tractatus brevissima ubertate perstringit. Hic ergo Reverendus Pater undique Venerabilis in Physicam Prædeterminationem solidè invehitur, Thomistarum argumenta enervat in Tomo II. Cursus Philosophici, super 8. Librum Physicorum Disputatione II. tota. Hæc ipso Thyrso Teste, quem dum pronuncio, sæculi sui Decus me nominasse arbitror. Eadem ferè Reverendus P. Gabriel Henao ex eadem Societate in Scientia Media Historicè propugnata Eventilazione 44. & 45. Ego enim qui ex professo Historiam scribendam suscepi, Scholarum diversas doctrinas minimè insector, sed omnes ut sanas & Catholicas revereor; cùm plerumque Scholastici hujusmodi tum publicis, tum domesticis disceptationibüs adversus sequioris sectæ dogmata reddantur exercitatiores. Ad nostra prosequenda revertimur.

IV. Viennæ toto mense Julio & Augusto P. Joannes a S. Antonio sacrum inter saxumque, ut dicitur, hæserat, quin tamen viam aliquam, aut rationem dispiceret, quâ inchoatum negotium ad optatum finem perduceret, aut ejus saltè progressus maturaret. Adeò omnia remoris obsepta fuerant, quæ veluti importunæ

Negotium Patris nihil procedit.

1687.

echeneides sibi perpetim succedentes desideria ejus comperendinabant, & votorum aviditatem sufflaminabant. Atque hinc factum est, ut res ei haudquaquam e sententia cesserit, nec eventus conceptae expectationi responderit; elapsis siquidem aliquot mensibus perspicue demum agnovit, se actum agere, aliasque ex aliis difficultatibus identidem suboriri, quarum violentis fluctibus in altum rursus rejiciebatur, cum ille sibi jam litus tenere videatur. Accessit ad hunc miseriarum cumulum alia major, tentata nempe ob inassuetum aërem valetudo. Migratura quoque nunciabatur Aula in Hungariam, ubi in Regem coronandus erat Cæsar Primogenitus JOSEPHUS Archi-Dux Austriæ, in quo negotio ritè ordinando aulici Ministri omne tempus expendebant. Indè comperendinationis tedium, & visendæ patriæ indies desiderium majus. Hæc rerum facies Patrem diu multumque anticipetem tenuit: ac propterea anxiè secum deliberare coepit, quid in hoc rerum statu potissimum ageret. Tandem ut ex hoc labyrintho aliquando emergeret, statuit ad ulteriora civem servare, præsertim cum ex certis nunciis audivisset, P. Joannem a S. Augustino sibi in hoc munere succenturiatum fuisse, cui deinde competenteret hoc negotium ad coronidem perducere, si ipse re infecta discederet Viennâ. Decrevit itaque, cum tempus faveret, uti concessâ licentiâ in patriam remigrandi, ut ibidem sub nativo cœlo afflictam valetudinem facilius, certiusque confirmaret.

P. Joannes a  
S. Antonio in  
Hispaniam re-  
dire cogitat.

S. N. Ordinis  
implantandi  
lux quedam  
velut aurora.

Anno 1679.  
Viennæ pestis.

Votū ad SSS.  
TRINITA-  
TEM pro a-  
vertenda pe-  
ste.

V. Nec tamen propitium Numen, cuius incomprehensibilia sunt judicia, & investigabiles viæ, per quas incedit ad illa efficienda, quæ ab æterno præordinavit, rem hanc in summam aliquando TRI-UNIUS DEITATIS gloriam, & innumerabilem animarum salutem cessuram penitus destitui permisit, sed luculentô quôdam prognosticô felicem introducendi Ordinis successum haud obscurè indicavit. Petamus aquam a fonte. Ante octennium hujus Sæculi elapsum horrenda quedam pestis tam immani strage Urbem Viennensem depopulata fuit, ut ejus sævitie ingens hominum multitudo occubuerit, civitatis maiore parte in solitudinem redactâ, omnibus certè hujus exitialis mali metu consternatis. Piissimus Imperator LEOPOLDUS, ut Divini Numinis iram placaret, & tam atrox Divinæ Justitiae flagellum a jugulo suorum subditorum averteret, cum civibus & urbico Magistratu vovit, se in honorem Sanctissimæ TRINITATIS marmoream columnam in illa civitatis parte, quæ herbarii fori nomen habet, erecturum, si lues remitteret. Voti compos lignum simulacrum, sed ad artis statuariæ amissim fabrœfactum interim in eo loco collocavit, donec colossum illum marmoreum, cuius structura plus temporis requirebat, ei substituisset. Quis tunc credidisset futurum, ut hoc ligneum simulacrum post decennium in nostro Viennensis cœnobii sacello publicæ foret venerationi exponendum? Id tamen accidit, quamvis nè minimus quidem alicujus spei radius tunc nobis affulserit, ut inferius visuris sumus. Clementissimus igitur DEUS pœnitentium lachrymis platus crudelis pestis sævitie prodigiosè compescuit, omnésque,

ut

ut fama vulgante percrebuit, epidemici mali contagio afflatis, quotquot hanc ligneam statuam adibant, ab exitiali languore liberavit. Id, quod præter alios Leopoldinæ Historiæ Scriptor Franciscus Wagner Societatis JESU sollicitè annotavit, qui de materia præsente ita loquitur: *Huc, ait, nimirum ad Sanctissimæ TRINITATIS novam columnam, pullatîs vestibûs longus ordo suppli- cantum DEIque pacem implorantium voluntariis flagellis in se desævien- tium deducens est. Exinde sentire Numinis auxilium, infringi conta- gionis atrocitas, serenitas redire, pièque creditum est: quotquot ad hanc statuam etiam contacti prorepererant; veluti ænei aspergi serpenis, con- sanatos.* Optimus autem Imperator paulò post voti religionem ex- solvit; eodem siquidem anno ac mense, quô sæpè memoratus P. Joannes a S. Antonio Viennæ diversabatur, tertio nimirum Kalendas Sextilis remotâ columnâ ligneâ marmorei colossi strutura for- tita est principium, posito ab Augustissima Dextera primo pro fundamentis Lapide, additóque pro solemnî ritu aureo nummò ex una parte hac inscriptione prænotatò: LEOPOLDUS I. ROM. IMP. SEMPER AUGUSTUS. SACROSANCTÆ TRINITATI VOTUM EXOLUTURUS COLUMNÆ HUJUS PRIMUM LA- PIDEM POSUIT. XXX. JULII M.DC.LXXXVII. Ex adver- sa autem parte hac epigraphe insignito: BENEDICTA ET LAU- DATA SIT SANCTISSIMA ET INDIVIDUA TRINITAS PA- TER FILIUS ET SPIRITUS SANCTUS. AMEN. Ecce tibi ma- tutinus, licet adhuc in nubilo Sacri nostri Ordinis Phosphorus & promicans spei nostræ Aurora. Assurrexit continuò pia moles ad fastigium ex marmore pario & alabastro, Imagine verò TRI- UNIUS DEITATIS ære cypriò, auróque liquatò encausticè obdu- età, piis & ingeniosis præterea emblematis ac inscriptionibus disticta, ubi sive artem, sive pretium spectes, simile haud facile in omni Europa reperies, stupendum sanè & incolis & advenis er- ga summum & Divinissimum Mysterium Austriacæ pietatis mo- numentum. Et ut amplius mirere DEI Bonitatem & Providen- tiā: cum res nostræ eo tempore inter tantas difficultatum sale- bras premerentur, quis divinare potuisset, hoc opere, quod tunc inchoabatur, ad fastigium perductò Excalceatos Patres Trinita- rios ejus solemnî Dedicationi, quæ Colosso perfecto celebrata fuit, inter reliquum Urbis Clerum cum cruce sui cœnobii affuturos? Hoc tamen itaprorsùs evenit, ut & quæ suò loco dabimus.

VI. Porro exeunte mense Augusti, & inclinante canicula æstu Viennæ & Romæ dispari studiò & diversò prorsùs animi ar- dore a nostris adornatur profectio, quin alteri de altero quid- piam prius innotesceret, imò nè crederent quidem, aut certè se nescire simularent, ut uno Viennâ recedente, alter in eandem urbem contenderet, utérque tamen causæ æquitate niteretur. Nam P. Joannes a S. Antonio re infecta Viennâ in Hispanias, P. Maurus a Conceptione Româ Viennam properat, ut eum in hac urbe complectetur, se sociumque daret, ut jussus erat, quem tamen ibidem non erat reperturus. Venetiis utérque sibi in via occurrit; idque præter spem omnem & expectationem

1687.  
AD SSS. TRI-  
NITATIS  
Statuam fa-  
nuntur multi.

Wagner in  
Historia LEO-  
POLDI I.  
Imp. lib. 6. ad  
an. 1697. pag.  
501.

Colossus Mar-  
moreus SSS.  
TRINITA-  
TIS substitui-  
tur ligneæ co-  
lumnæ.

Aurei nummò  
inscriptiones  
positi ad fun-  
damenalem  
Lapidem.

Dispari studiò  
& Vienna &  
Rome fit pro-  
fectio.

Venetis for-  
titudi sibi oc-  
currunt Pa-  
tres.

1687. mutuam. Reciproci salutationis officiis perfuncti alter alterum non sine ingenti admiratione ac stupore percontatur, unde? quid? quomodo tam insperatus hic loci congregatus acciderit? Aderat P. Maurus simul cum P. Joanne a Nativitate B. Virginis & Fratre Josepho a S. Andrea converso. Hi quidem duo Superiorum iussu directi in Poloniam unà simul cum P. Mauro Româ venerant. His protinus P. Joannes a S. Antonio disertè asseveravit, nihil prorsus esse Viennæ sperandum, sed omnia invincibilis difficultatibus horrere. Pergerent itaque in Poloniam, quo illi mittebantur, gratam ibi rerum faciem reperturi, ast cum Viennæ nihil agendum sit, consuluit ille P. Mauro, ut Romam repeteret, ibidemque nova mandata nostri Patris Ministri Generalis operiretur, id se excusatum apud eundem. At constanter renuit P. Maurus, & aperte ostendit, sibi injunctum esse, ut eidem Viennæ socius accederet, ageret proinde, & secum ocyus ad eandem Urbem reverteretur. Verum surdo fabula canebatur; ille enim in suo proposito mentem adeò obstinaverat, ut nullis rationibus ad redditum permoveri potuerit, nihilque non egerit, ut P. Maurum in eandem secum sententiam quoquò modò pertraheret: iste autem, cuius excelsum animum nullæ difficultatum procellæ perterrefacere poterant, in suo coepio pariter immotus persistit, & ad ardua quaque tum aggredienda, tum perficienda paratus, quamvis res forent longè intricatissimæ, obediendi studiō impulsus in præstituto itinere permanuit, sibique reluctantem solum, quo propria voluntas & patriæ desiderium vocabant, haud gravatè abire permisit.

P. Maurus  
Viennam per-  
venit destitu-  
tam causam  
assumit.

VII. Vigesimâ itaque & septimâ mensis Septembris P. Maurus cum iisdem itineris sociis Viennam Austriæ ingressus est. Nec diu ibidem P. Joannes a Nativitate cum fratre socio moratus, in Poloniam, quo iussus fuerat, transivit, quamvis multum rogaretur, ut Viennæ ulterius ad præsentem procurationem omissâ in Poloniam profectione subsisteret, donec aliud a Nostro P. Ministro Generali disponeretur: His tamen nihil obstantibus illi suum iter sunt prosecuti. Hinc Pater Maurus iterum solus & absque socio manum operi admovit, & quin vel tantillum ab emensi itineris laboribus respirasset, destitutam causam totis viribus urgendam suscepit. Exemplò itaque aditum ad Eminentissimos Cardinales Bonvism & Kolloniczium sibi aperuit, & officiosâ industriâ favores Excellentissimorum Dominorum Harrachii & Burgomainii prehensavit, quorum benevolentiam huic causæ maximum momentum allaturum non ignorabat. Epistolas deinde, quas a Reverendissimo P. Thyrso Societatis JESU Præposito Generali attulerat, Patribus Superioribus Domuum, & iis, qui Cæsareæ Majestati erant a sacris confessionibus, tradidit. Spe freatus minimè dubia tantorum virorum auctoritate ac intercessionibus præsens negotium adversus quorumvis insultus, aut impetus firmissimè vallatum iri. Néque diu post in Hispaniam prescriptum fuit, quo in statu res nostræ Viennæ versarentur. Noster P. Generalis Minister, ut vidit, P. Joannis a S. Antonio in Hispaniam.

Acta nuntian-  
tur in Hispa-  
niam.

1687.

Hispaniam redditum accidisse, quam rem ingratam sibi quidem non obscurè præfigerat, veritus nè in re tanti momenti perperām aliquid committeretur (nam P. Maurus legitimo carebat Procuratoris charactere, nec ingerere se jure poterat, ad quod nulla instructus erat potestate, utpote qui tantummodo socius alteri adjunctus fuerat) adeoque ut, qui ex hoc defectu sequi poterant actus irriti, antevertentur, P. Joanni a S. Augustino, Viro doctrinâ & pietate conspicuo, senili aspectu & canitie planè venerando, qui olim tyronum Magistri, atque etiam in Vicensi Cœnobio Ministri officium gesserat, ac præterea Barcinonensis Minister electus fuerat, quod tamen officium sponte resignaverat, confessim injunxit, ut finè mora cum Procuratoris Generalis charactere Viennam migraret, & ibidem in Aula Cœsarea hanc urgeret foundationem. Jussis Pater e vestigio obtemperavit, & ineunte mense Novembri celeriter se viæ commisit.

VIII. Cæterum intra unius mensis spatiū, quod P. Maurus Viennæ exegerat, ut erat non vulgari fervore ac zelô flagrans, multa egregiè perfecit, negotiumque strenuè ursit, præfertim apud Kolloniczium Cardinalem. Erat hic ob virtutes & vitæ merita LEOPOLDO Imperatori longè acceptissimus, atque indefessus piarum causarum Promotor, præcipue pauperibus captivis Christianis e jugo Turcarum redimendis intentissimus. Et ut res omnes accuratissimâ judicii trutinâ ponderare noverat, cùm ei Redemptionis captivorum Institutum mirificè probaretur, animum pronum exhibuit, prolixèque spopondit, se propriis impensis Ordini nostro cœnobium conditum, non tamen Viennæ, ubi multa & numerosa judicabat esse monasteria, sed in aliqua Hungariæ civitate, aut oppido, in quo major esset religiosorum necessitas. Nam cùm illis temporibüs invicta Cœsaris arma secundissimo victoriarum cursu plurimas urbes occupassent, pulsaque Mahometis superstitione Christianorum sacra reduxissent, multa passim occurrabant loca, quæ spirituales cultores requirebant, simûlque aptissimam occasionem Redemptorii Instituti exercendi offerebant. In eandem sententiam Cardinalis Bonvistus ambabūs, ut ajunt, manibüs concesserat, qui suis rationibüs potissimum KolIoniczium ad hoc consilium suscipiendum induxerat. Evicit tamen P. Maurus suis precibüs, Excellentissimi Comitis Harrachii intercessione subnixis, ut Cardinalis ad extremum decerneret Viennæ Hospitium aliquod nobis construere, ut rebus Ordinis in Hungaria melius indè prospiceretur, & cùm adversi quidpiam ingrueret in Regno variis & subitaneis motibus obnoxio, Viennæ in propria domo tutum foret exilibus receptaculum. Inter hæc Cardinalis Bonvistus pro ingenti sua, quâ Ordinem nostrum complexus fuerat, benevolentia, nullum non movit lapidem, ut ejus in præsens augmentum indies magis ope sua proveheret. Cœsari itaque & Aulæ Optimatibus Redemptionis Institutum etiam atque etiam commendavit, ejusdémque desiderium in illis excitatavit. Accesserat quóque Principem Episcopum Viennensem, cui solidis rationibüs persuasit, Patres Trinitarios ob Regularis vitæ

P. Joannes a  
S. Augustino  
Româ Viennam  
mittitne  
Procurator  
Generalis ad  
impetrandum  
ibidem cœnobium.

Card. Koilo-  
niczii in ordi-  
nem favor.

Cœnobium  
nobis in Hun-  
garia fundare  
intendit.

Et nunc quæ-  
que Hospitium  
Viennæ.

Card. Bonvi-  
stus Ordinem  
nostrum lau-  
dat.

1687. observantiam, exemplarem in populo conversationem, & vel maximè ob facerrimum captivos redimendi Institutum his in oris fore utilissimos, atque omnino necessarios ob bella, quæ Cæsar continuè adversus Turcas in Hungaria gerit, in quo plurimi Christiani ad miserabilem servitutem abducuntur, quibus nec spes, nec res, aut alia evadendi naufragii tabula suppetit.

P. Maurus die  
27. Octobris a  
Cæsare petit  
Viennæ Hos-  
pitiū.

IX. Rebūs utcūque jam constitutis P. Maurus opportunum tempus adesse rebatur, quō Augustissimo Cæsari hanc suam Cau- sam supplici libellō porrigeret, quem etiam Castellano idiomate (cujus Imperator optimè gnarus erat) conscripsit, atque in eodem, postquam Suæ Majestati præcipua Sacri Ordinis nostri capita paulò fusiùs exposuisset, petiit facultatem Hospitium pro nostris Viennæ construendi. Innotuerat eidem Patri, jam decimā octavā mensis Octobris emanāsse Decretum JOSEPHUM Archi-Ducem Austriæ propediem in Regem Hungariæ coronandi. Quare tem- poris facturus compendium occasionem quæsivit & opportunita- tem ad Cæsaris Augustale solium penetrandi. Néque diu hâc gratiâ frustratus fuit, sed post exiguum trium dierum interval- lum, nempè vigesimā primā ejusdem mensis post primam insi- nuationem ad Clementissimi Cæsaris alloquium admissus religiosa submissione breviter ac nervosè suam petitionem eidem propo- suit, motiva tam Sacra, quam Politica facundè adduxit, ac de- mūm supplicem Libellum Augustissimis manibus tradidit. Re- sponsum Benignissimi Cæsaris ad votum erat, & spem faciebat brevi secuturi effectū. Supplex Libellus Supremo Aulæ Cancel- lario pro more commissus fuit, ut ejus momenta ab Excelsi Regi- minis consilio, Magistratu civico, ac denique a foro Ecclesiastico gradatim expenderentur. Verūm hic supplex libelius non multò post disparuit. Cæterūm an casu, an dolō suppressus fuerit, dicere non habeo. Istud pro comperto affirmare possum, eum deinceps nullā prorsū industriā reperiri potuisse. Nihil tamen prohibet, ut dicamus, Aulā totā in iter Posoniense ad Porphy- rogeniti coronationem intentā, libellum hunc in manus alicujus, Hispanicum idioma ignorantis, ut in repentinis hujuscemodi mi- grationibus usuvenire consuevit, pervenisse, & ab eodem, ceu rem inutilem abjectum fuisse. Quidquid demūm sit, Divini Nu- minis Providentiæ hunc eventum rectius adscripsero, quæ voluit ut largius peteremus, & majora impetraremus, non quidem Ho- spitium, ut supplex Libellus voluerat, sed absolute Monaste- rium, quod Beatissima TRINITAS pro Ordine nostro decreve- rat, velut in sequentis anni commentario manifestius clarebit.

Supplex Li-  
bellus Cæsari  
datus dispa-  
ruit.

Quæ singula-  
ris fuit DEI  
Providentia,

In die Coro-  
nationis 9.  
Decemb. P.  
Joannes venit  
Viennam.

X. Paucis post diebus, videlicet vigesimā nonā ejusdem men- sis Octobris, Aula Cæsarea Posonium concessit ad memoratæ Co- rationis Solemnia regio cultu pompaque peragenda. Nihil in- tereā actum; alii námque publica Regni negotia curabant, alii fe- riabantur, aut placido otio Viennæ indulgebant. Nonā Decem- bris, eodem quidem die, quō Serenissimus JOSEPHUS Archi- Dux Austriæ faustissimis auspiciis Rex Hungariæ, & quidem Pri- mus hujus nominis, inauguratus fuit, P. Joannes a S. Augustino plena

plena & publica Procuratoris potestate a nostro Definitorio Generali auditoratus ad urgendum præsentis negotii successum bono omne Viennam intravit. Ejus adventu P. Maurus mirificè exhilaratus singillatim & ex ordine recensuit, quæ hactenùs in hac causa promovisset. Verum Aulà peregrè tunc constitutâ cœptum negotium provehi minimè potuit. Interim ad reliqua confienda conferunt, ac exquirunt consilia, & maturis deliberationibus sollicitè incumbunt, quibūs omne, quod eis ab aliis negotiis reliquum erat tempus, religiosè expenderunt. Hoc annô Cæsar cum Filio coronato Rege Hungarorum Natalitia CHRISTI Festa Posonii peregit, & sic præsens annus millesimus sexcentesimus octogesimus septimus in circulum est convolutus.

## CAPUT VI.

*Mutatō consiliō jam non Hospitii, sed cœnobii Viennæ condendi facultas efflagitatur: hæc postulatio ab aliis graviter exagitatur, alii autem eidem faverent.*

I. **F**eliciore auspiciō universo Ordini nostro, & futuro præser-  
tim cœnobio Viennensi iluxit præsens Annus Domini-  
cæ Nativitatis millesimus sexcentesimus octogesimus octavus,  
in quo plurimis exantlati laboribūs, ærumnis superatīs, variis  
que remotis impedimentis, & complanatis diversarum oppositio-  
num difficultatibūs nostris subinde inter ambiguam spem præ me-  
tu & motu palpitantibus tandem serenior exorta dies desiderata  
victoriæ palmam progerminavit. Post solemnem Corona-  
tionem JOSEPHI I. Hungarorum Regis Augustissimus Impera-  
tor cum Serenissima Familia, totaque Aula Viennam redux pu-  
blicis privatisque negotiis rursus manum admovit. P. Joannes  
cum socio suo P. Mauro cooptæ prætensionis telam pertexturus  
ab Aulæ Cancellario, qui tunc erat Theodorus Althet Henricus  
Comes de Stratmann, sciscitatus est, quem tandem successum sup-  
plex Libellus noster fortius fuerit, vel in quonam statu res no-  
stræ versentur? Sed cum ille negaret, libellum hunc ad manus  
suis pervenisse, P. Joannes cætera Tribunalia percursat. Ubique  
schediasmata omnia sollicitè discutiuntur, & inspiciuntur, illius tamen libelli nè vestigium quidem comparet. Anxii proin-  
dè attonitiq[ue] consultant, quid demum in re præsenti eis agen-  
dum sit. Hæc inter dum mœsti Patres suspirant, boni cujus-  
dam Angeli ductu Comitem Julium Fridericum Buccellenium Pro-  
Cancellarium Aulæ convenerunt, eidēisque afflictionem, quæ  
premebantur, sincerè exposuerunt, pariter & consilium in rebus  
dubiis imploraverunt. Pro-Cancellarius, ut erat vir insignis cha-  
ritatis & prudentiæ, qui deindè etiam ob præclara merita ad di-  
gnitatem Aulici Cancellarii electus fuit, cum sinistrum hunc even-  
tum didicisset, Patribus cordicitus compassus quæsivit ab eis, quid-  
nam, aut quæ supplex ille libellus continuerit? Responderunt

1688.  
Redeunte Au-  
lā Procuratio  
negotii redin-  
tegratur.

Datus supplex  
libellus queri-  
tur, sed nos  
reperitur.

1688.

Consultitur ut  
alius libellus  
concepatur &  
petatur licen-  
tia fundandi  
Viennæ exono-  
biuum.

illi, quod res erat, se illō libellō Hispānicē conscriptō facultatem postulāsse Hospitium aliquod Ordinis sui Viennæ extruendi. His patienter auditis Pro-Cancellarius amicē consuluit, Libellum non Hispānō, sed Latinō sermone, quem omnes legere, & intellegere possent, conciperent, atque in eo ab Imperatoris Clemētia non Hospitium, sed absolutē monasterium efflagitarent. Tam desideratō, & a DEO, ut piē creditur, inspiratō consilio Patribus nova quasi vita, animūsque redivit, qui tam salutare consilium ambabūs, ut ajunt, ulnis amplexi, ei morem gerere decreverunt, quod tamen ausi priūs minimē fuissent, nē illorum Magnatum sententiā adversarentur, qui Hospitium unicē urgendum distitaverant, quamvis & isti deindē (quod mireris) haud gravatē in eamdem sententiam conesserint, aut certē nihil adversus illam opposuerint. Persolutis itaque pro tam utili consilio maximis gratiis P. Joannes e vestigio alium satīs prolixum Libellum supplicem concinnavit, quem in compendium redactum, quō Historiæ series clarior evadat, hic subiectere libuit, & ita ferè sonat: „Cūm de copioſissimo ſpirituali fructu Sacri Ordinis Sanctissimæ TRINITATIS Redemptionis captivorum in agro Dominico Militantis Ecclesiæ ab anno Salutis millesimo centesimo nonagesimo octavo, in quo non paucis revelationibūs, & apparitionibūs a Sanctis Patriarchis JOANNE & FELICE conditus fuit, loquuntur opera, gesta, scripta, virtutes, & ipsum quidem Sacerrimum Redemptionis captivorum Institutum tantā curā, ſolicitudine, ac indefesso labore administratum, adeoque non ſe velle in lata & peculiari horum enarratione diutiū immorari; ſibi pro nunc ſatis videri Epistolæ adduxiſſe, quas recenter Sanctissimus Pontifex INNOCENTIUS XI., & Serenissima Hispāniarum Regina Mæter ad Suam Cœfaream Majestatem in Ordinis commendationem exaraverant, ad effectum nempe, ut Sua Auguſtissima Majestas Suis in ampliſſimis ditionibus eumdem dignaretur recipere, in quibus parifomiter iſtius Ordinis alumni quāsi apes argumentoſae Divinæ Gloriæ ſalutique animarum, ac Redemptioni captivorum, quos tot corporis & animæ pericula circumſtant, operam navare desiderant; id enim Ordinem nostrum principaliter, velut ſui Instituti ſi nem intendere; ita quidem, ut ex omnibus fidelium eleemosynis (iis exceptis, quæ pro captivis erogantur; hæ nāmque eisdem captivis integrē impenduntur, ac inviolabiliter) quæ in religiosorum ſuſtentationem veniant juxta Regulæ diſpoſitionem cap. 2. tres partes efficiantur, tertiąque parte pro captivis separata reliquæ duæ partes in frugalem religiosorum viētum, & egenorum neceſſitates impendantur. Rursus ad vitæ austeritatem deveniendo; in hoc Ordine totō annō a carnibus abſtineri, exceptis aliquot Dominicis & paucis Festivitatū diebus. Præter abſtinentiam iſtam majorem an ni partem in jejunio transigi, Singulis quōque diebus in oratione mentali ad minus duas interpolatim horas expendi. Officium Divinum etiam media nocte perſolvi; in eo Ritum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ obſervari. Singulis hebdomadis ter in æcumnarum CHRISTI memoriam flagellis

Epiſtolæ Summi Pontificis,  
& Reginæ Hispāniarum.

Inſtitutum Re-  
demptionis  
captivorum.

Ordinis Rigor.

in

1688.

„ in corpus animadverti. In tabula duabūs strata lodicibūs ne-  
„ cessarium somnum capi , lineis duntaxat in ægritudine uti lice-  
„ re : In cellis hanc observari paupertatem , ut nihil præter  
„ CHRISTI & Beatæ Virginis DEIPARÆ , vel alterius cuiusdam  
„ Cœlitis in charta effigies permittatur ; reliquam supellectilem  
„ esse cilicium , disciplinam , aliquos libros spirituales aut scho-  
„ lasticos pro studio propriæ , vel proximorum salutis , & sco-  
„ pam ad humilitatis exercitium : vitam denique austeraam secun-  
„ dum Regulæ primitivæ Canones sinè mitigatione traduci. In  
„ administrandis Pœnitentiæ & Eucharistiæ Sacramentis , in do-  
„ cenda CHRISTI doctrina , in ope ægris & moribundis feren-  
„ da toties , quoties vocati fuerint , hujus Ordinis Sodales prom-  
„ ptos esse ac diligentes : uno verbō , omnes & singulas virtutes  
„ rigidiore observatione in hac Excalceata Trinitaria Familia per  
„ DEI gratiam resplendescere. Prætereà pium illud & glriosum  
„ Redemptionis captivorum Institutum in summo esse vigore ; id  
„ patere manifestè in tot centenis millibus jam redemptis Chri-  
„ stianis , præter eos , qui ex infidelitatis caligine ad veræ Fidei  
„ lumen sunt perducti , tum a Patribus Redemptoribus , tum a Re-  
„ ligiosis in Africanis Hospitiis & Xenodochiis , quæ Ordo pro  
„ captivorum solamine Fezii , Tuneti & Algerii obtinet. Hanc  
„ amplius clarescere veritatem Regnorum testimoniis , ubi hic or-  
„ do sedem fixit. Eundem quoque olim floruisse in Anglia , Sco-  
„ tia & Hibernia , atque aliis Orientis & Occidentis Regionibus ,  
„ quandiu ibidem Catholica Fides intemerata perficit , nunc ve-  
„ rò temporum injuriâ rerumque vicissitudine ibidem Ordinem  
„ cum vera Fide , proh dolor ! elanguisse , transmissoque copio-  
„ sò Martyrum numero Triumphant Ecclesiæ victimas consecrâ-  
„ se. His prælibatis subjunxit P. Joannes , se totius Religionis suæ  
„ nomine ad Augustissimos Suæ Majestatis Pedes provolvi , sup-  
„ plicitérque postulare , ut ad Majorem DEI Gloriam , proximí-  
„ que salutem ( quam semper præ oculis habuere Ordinis Majo-  
„ res ) in florentissimis Suæ Majestatis Dominiis , Viennæ in Austria  
„ præprimis ob hujusmodi operariorum necessitatem hic Ordo  
„ stabiliatur ; quatenus ad CHRISTI Redemptoris imitationem  
„ magis elucescat : se autem in Domino confidere , eum non mi-  
„ noribūs hic , quam in aliis Regnis , ubi floret , benedictionis fructi-  
„ bus abundaturum. In eo Suam Majestatem Sanctissimæ ac indivi-  
„ duæ TRINITATI gratissimum præstituram officium , subditis suis  
„ in captivitate barbararum gentium suspirantibus maximum lar-  
„ gituram Redemptionis beneficium , & præclaram hanc Urbem  
„ tot Religiosorum cœnobii ornatam Redemptrice Sanctissimæ  
„ TRINITATIS Familiâ amplius illustratram. De quibus spem  
„ magnam facit innata Suæ Majestatis Pietas & Clementia , quam  
„ DEUS in summa perpetuâque prosperitate semper conservare  
„ velit &c.

II. Ad hunc ferè modum denuò descriptus fuit libellus , in  
quo tamen néque Cœnobii , néque Hospitiū ædificandi signatè  
facultas petita fuit , nè in uno , alióve prævaricarentur. Atque

K

In Sacramentis  
administran-  
dis diligenter.

Copiosæ ca-  
ptivorum Re-  
demptiones &  
infidelium  
conversiones.

Hospitia in Af-  
rica.

Floruit olim  
Ordo in An-  
gilia &c.

Petitio.

Dispositus  
fuit supplex  
libellus , nè ex-  
pressè petere-  
tur Hospitium ,  
& cur ?

hac

1688. hac ratione illorum voluntati satisfecerunt, qui a consilio Vienae cœnobium condendi abhorrebat, quin tamen illorum opinionem rejecissent, qui contrariam sententiam urgebant. Utrique proinde parti gratificati sunt, & ut est in proverbio, unà, eadémque fideliâ duos parietes dealbârunt. Rerum Summâ Omnipotenti DEO commissâ, in cuius manu corda Regum esse novabant, néque dubitabant de felici hujus negotii successu, in quo unicè Gloriam Sanctissimæ TRINITATIS quærebant. Imploratō itaque priùs Cœlitum suffragiò, P. Joannes ad Clementissimi Cæsaris thronum fidenter accessit, eidémque humilibus & emphaticis verbis exposuit sui adventûs causam, supplicationis argumentum, rationes & motiva, fructus quóque inde colligendos. Addidit præterea non modò utile, sed perquām necessarium esse omni populo, & benè constitutæ Reipublicæ regulare Redemptoris captivorum Institutum; atque adeò Potentissimo Principi tot Regnum & Gentium Domino, Orbis Monarchæ non immerito hujus Instituti viros esse expetendos, cui ob assidua cum Turcis prælia frequens captivus miles decederet, qui inter barbaros illos servitutem corpori & animæ perniciosam, omnique morte amariorem servire cogeretur; Ingens id fore miseris solatium, ut potest qui tanto constantius in suscepta Christianæ Fidei professione essent perstituti, quanto certius cognoverint, aut sperare potuerint se proximè in desideratissimam libertatem assertum iri. Memorabat pariter, hoc opus Ipsi Cæsari fore perquām honorificum, patriæ & Christianæ Reipublicæ salutare, ideoque Supremo Numini gratissimum. Augustissimus Imperator his auditis precibüs solita benignitate supplicem recepit libellum, & quæ bonus Pater ex sincero pectore de Officio Christiani Principis peroraverat, sibi placere significavit, pollicitus, se operam daturum, ut ejus desideria quam proximè optatum eventum sortiantur. Monuit præterea, ut in devotis ad DEUM precibus fundendis Patres perseverarent, & Ipsi semper memores essent. Gratissimô Cæsaris Responsô, & testata in se voluntate oppidò exhilarati ulteriore in cæteris tribunalibus præstolabantur successum.

**III.** In hujusmodi consultationibus, quæ de rebus gravioris momenti instituuntur, Jus Municipale postulat, atque mos ab antiquo receptus, ut omnia tam Politica, quam Ecclesiastica tribunalia consuluntur. Eo verò tempore, quô res controversa siue Libellus discutiendus in deliberationem proponitur, cuique liberum est, atque integrum in quâmcunque partem suô arbitriô propendere, suâmq; sententiam candidè aperire, sinè tamen præjudicio Supremæ, quæ Principi debetur, Auctoritatis. Confestim itaque Supplicatio nostra Supremo Aulæ Cancellario tradita, & ab hoc ad Excelsi Regiminis Consilium transmissa, indè Urbico Magistratui, Curiæque Ecclesiasticæ intimata fuit. Res primò Civitatis Senatui proposita, acritérque ibidem ventilata unanimi consensu repulsam tulit, idque his potissimum de causis: Plurima jam intra mœnium septa numerari monasteria, spatium verò urbis reliquum ob frequentissimam incolarum & advenarum

Supplex li-  
bellus in tri-  
bunalibus ex-  
aminatur.

In Senatu  
sepultam tu-  
lit.

mul-

multitudinem adeò arctum & angustum esse, ut plura capere nequeat cœnobia; magnam quoque urbis portionem a diversorum Principum & Legatorum palatiis, aliisque exemptis Magnatum ædibus tam densè insideri, ut nullum novo monasterio locum relinquant: Porro ipsa suburbia, ubicunque demum inspiciuntur, religiosorum hominum domiciliis referta esse, qui cum sua in populo ministeria gnaviter impendant, plures nequaquam accersendos videri. Demum hujusmodi cœnobiorum multiplicationem in magnum vergere Reipublicæ præjudicium, atque adeò singulis circumstantiis sagaciter expensis supplicationem hanc locum invenire non posse. Hoc tam ingratum responsum Patres a Magistratu civico retulerunt. Evidem Senatus politica momenta exactè libraverat, nusquam tamen mentio aliqua injicta fuit saluberrimi & Ordini annexi Redemptionis Christianorum captivorum Instituti; quod tamen impræsentiarum potissimum spectari decuisset. Scilicet viris aliquoquin prudentissimis in mente minimè venerat, quantâ ex illo Reipublicæ, patriæque filiis tam corporis quam animæ emolumenta proveniant, quantâque incomoda evitentur, ut inferius sèpè evidentissimè patebit. Nec amplius recordati sunt, quot millia indigenarum in nuperata Austriae depopulatione a Turcis in lugubrem captivitatem abstracta fuerint, quorum calamitas uno ore nostri Ordinis Institutum efflagitabat, & se ipsò perspicue ostendebat, quam necessarium illud sit hisce Provinciis, que infidelium excursionibus & gravationibus nunquam non patent. Quam verò exiguum vim ratio illa obtineat, quam ob multitudinem asceteriorum petitio nostra repulsam subivit, vel inde patescit, quod etiam post constitutum cœnوبium nostrum quinque aliarum Religionum sive congregationum domicilia, tria videlicet virorum & bina mulierum Viennæ non admodum multos quidem post annos acceſſerint.

IV. Benevolentiores se nostræ prætensioni exhibuit curia Ecclesiastica, suffragante præsertim Celsissimo Principe Viennensi Episcopô D. Ernesto e Comitibus de Trauthson. Is igitur, ut juxta Clementinæ Constitutionis Canones ritè procederet, ubi sancitur: *Episcopos non posse licentiam ad novos conventus cujuscunque mendicantium Ordinis in civitatibus & locis eorum ordinariae jurisdictioni subjectis erigendos impertiri, nisi vocatis & auditis aliorum in eisdem civitatibus & locis existentium conventuum Prioribus, seu Procuratoribus, & aliis interesse habentibus, & causa servatis servandis confiterit.* Quam ob rem Princeps Episcopus ad aulam suam omnes regularium cœnobitarum Superiores, qui privilegiis mendicantium fruuntur, convocavit, eisque injunxit, ut palam in medium proferrent, si quid haberent, quod novæ hujus monasterii fundationi jure opponere possent.

V. Ipsa nunc gratitudo & accepti beneficij memoria nos cogit, ut ingenuè fateamur, Religiosissimos Patres Ordinis Minorum Capucinorum, quamvis Viennæ duo obtineant Asceteria, absque respectu ad propriam indigentiam nobis insigniter favisse. Etenim utriusque cœnobii Præfести, quos illi recepto more

1688.

ob rationes.

Quibus respondetur.

Acta in curia Ecclesiastica.

CLEMENS VIII. Constitutione 99.

Primi faventes  
RR. PP. Capucini.

1683. Guardianos appellantur, re cum Ministro Provinciali sui Ordinis accuratè expensa, omnium primi ad Celsissimum Principem Episcopum Viennensem, ac deindè ad ejus quóque Vicarium Generalem se contulerunt, utrobique testati, nihil prorsùs rebus suis incommodare hoc statuendum cœnobium, néque ullam se habere justæ oppositionis causam. Respiciebat nimis rūm viri Apostolici volatilia cœli, quæ néque serunt, néque metunt, néque in horrea congregant, & Pater Cœlestis pascit illa. *Nónne vos magis pluris estis illis.*

*M. sub. v. 26.* **VI.** Pari favore nulla oblivione obliterandô beneficî nostrum Institutum prosecuti sunt Admodùm Reverendi Patres Societatis JESU; ex omnibus siquidem tribus Domibus, quas Viennæ incolunt, unanimi voce nobis sunt suffragati; néque hòc benevolentiae argumentô contenti conscriptum etiam folium Curiæ Ecclesiastice obtulerunt, in quo Celsissimum Principem Episcopum Viennensem majorem in modum sunt obtestati, ut prætensus Ordinis istius cœnobium sua Auctoritate fovere, illudque quâmprimùm in opus deducere velit; aiebant enim, hanc foundationem non solum in majorem DEI Gloriam redundaturam, sed eandem quóque toti Reipublicæ Christianæ profuturam, & in salutem fidelium animarum, præcipue verò pauperum captivorum Christianorum sub immani Turcarum tyrannide gementium, cessuram. Ut verò hisce precibus majus pondus adjicerent (ut sunt Viri Docti & charitate fervidi, nec non in piis causis promovendis versatissimi) dicere non dubitârunt: Suam Celsitudinem tanquam communem egenorum Patrem, CHRISTIque fidelium Pastorem ad hoc e pastorali officio & conscientiæ religione obligari, cùm boni Pastoris munus flagitet, ut oves, si possit, & cruentis luporum faucibus eripiat, eásque ovili suo restituat; id quod priscis Ecclesiæ Patribus antiquissimum semper fuit, ut pote qui, Sanctis Ambrosiô & Augustinô testibûs, Templorum vas & ornamenta in pecuniam conflare, eaque captivos Christianos & barbarorum servitute redimere consueverunt. Suam itaque Celsitudinem, & omnes Successores Principes Episcopos in his bonis & religiosis viris (itâ enim loquebantur) atque in eorum Ordinis Instituto aptissimam occasionem habituros suæ semper obligationi exesse satisfaciendi. Hujus argumenti scripturam viri illi Sapientissimi eadem libertate, quâ eam litteris exaraverant, propriis chirographis obsignârunt; Domûs, videlicet, Professæ Præpositus, ac deinde Academicci Collegii & Tyrocinii apud S. Annam Rectores.

*Item nobis  
benevoli PP.  
Carmelita  
Discalceata.* **VII.** Similî benevolentiâ nobis velificârunt observantissimi Patres Excalceati de Monte Carmelo, prolixè testati, se tam pio, hisque regionibus adeò proficuo Instituto, quale est Christianorum captivorum Redemptio, implantando, nec velle, nec posse adversari; quin imò sibi constitutum esse modis omnibûs, quoad liceret, hujus cœnobii structuræ provehendæ operam dare, quòd satis sibi perspectum dicerent, quâm benè sacer hic Ordo de tota Republica Christiana sit meritus, atque ideo æquissimum fore,

ut

ut eidem omnis possibilis favor exhibeatur. Hæc, quæ voce pro-  
fitebantur, eadem scriptis Celsissimo Principi Episcopo non sine  
magna Ordinis nostri commendatione tradiderunt, éaque sui cœ-  
nobii nomine ex Leopoldino Suburbio Admodum Reverendus P.  
Adolphus a S. Maria ibidem Prior subscriptione firmavit.

VIII. Verum ut non omnibus idem est sensus, æqua & con-  
stans opinio, non defuere, qui diverso affectu nostræ cau-  
se totis sese viribus opponerent. Alii, qui hujus Ordinis profes-  
sores anteà nunquam se vidisse meminerant, insolitam miraban-  
tur novitatem; plerisque enim ignotus etiamnūm erat Ordo &  
Institutum nostrum, eò, quod duo illi Religiosi nostri mentis re-  
collectioni, aliisque pietatis exercitiis, quibus Divinam Majesta-  
tem suæ causæ demererit fatagebant, intenti, raro admodum in  
publicum prodierint. Erant etiam nonnulli, qui suâ nihil inter-  
esse dictabant, sive urbi novum cœnobium accederet, sive non;  
utrūque suis rationibus nihil detraeturum. Quare cum id suis  
conventibus nihil præjudicare faterentur, hi pariter suffraganti-  
bus sunt accensiti, cui classi illos etiam attribuit Supremum Sta-  
tus Consilium, cum ibidem de præsenti negotio tractaretur. Alii  
autem, cum tot Antagonistas adversus nos consurgere viderent,  
supervacaneum putarunt, si & ipsi nobis contradicerent, quod  
crederent, prætensionem nostram suo effectu frustrandam esse.  
Duo præterea Ordines Religiosorum supererant, qui prorsus con-  
ticuerant, ideoque consentientibus adnumerati sunt. Factò igi-  
tur in Ecclesiastico consilio suffragiorum scrutini inventi sunt  
pauci, qui palam refragabantur. Omnibus itaque maturè libra-  
tis decretoria sententia lata fuit juxta majorem suffragiorum nu-  
merum, quibus Celsissimus Princeps Episcopus Viennensis etiam  
suò votò accessit, censuitque admittendum esse Ordinem Sanctis-  
simæ Trinitatis Redemptionis captivorum tanquam rem huic Ur-  
bi & Regionibus istis utilissimam, & Christianæ Reipublicæ hisce  
atque etiam futuris temporibus maximè necessariam ob perpetua  
bella, quæ Cæsari cum infensiissimo Christiani nominis hoste in-  
tercedunt, cujus violentiâ plurimi Fideles in tristissimam servitu-  
tem abripiuntur, quibus nihil gratius ac jucundius accidere vale-  
bit, quam si viros Religiosos domi sciant, qui eorum redemptio-  
ni sollicitè invigilent.

IX. Hoc Suæ Celsitudinis Decretum, quod nobis nihil desi-  
deratius, aut acceptius, pauperibus verò captivis nihil lætius,  
aut utilius contingere potuisset, cum ad excelsum Regimen dela-  
tum fuisse, hoc ex adverso censuit cœnobiorum numerum  
non esse augendum, statuitque prætensem novi Monasterii  
fundationem certis de causis & rationibus non esse admittendam.  
Hæc repulsa tantò acerbius nostros afflxit, quantò minus hanc  
speraverant, cumque satis exploratè scirent, quam ingens in ju-  
re dicundo sit Excelsi Regiminis Auctoritas; parùm absuit, quin  
tenuis nostræ velificationis navicula penitus quateretur, nisi bo-  
num Numen vacillantes animos corroborasset; Opus enim DEI  
fuerat, quod ad ejusdem gloriam & salutem animarum procurabatur.

Allorum Ora-  
dinum varia  
sunt suffragiz.

Celsi, Princ-  
cipis Episcopi  
consensus &  
Decretum.

Excelsum Re-  
gimen adver-  
satur.

## C A P U T VII.

*In arcane Cœsaris & Statu Consilio decernitur  
facultas Viennæ Sacri nostri Ordinis Cœnobium condendi.*

*Ob idem Decretum Augustissimo LEOPOLDO I.*

*Rom. Imp. Gratiae peractæ.*

1688. I. **M**agna molimina comitantur plerūmque non minora fatigia. Opus est hic ingenti animo, subinde cunctatione, consilioque, præcipue tamen insigni quādam & exquisitā prudētiā; quod si horum aliquid desit, successus sœpè corrumpitur, aut desideratus exitus in grave periculum adducitur. Nihil quidem a nostris hucusque peccatum fuisse perspectum habebatur, omnia recte pro temporis ratione, & ut circumstantiæ ferebant, peracta sunt. Subito autem ad summa eniti paucorum est felicitas, & vix cuiquam in terris concessa. Naturā quoque ita comparatum est, ut in ævum duratura lentiūs & sensim coalescant; ad eundem modum etiam arbores firmiores agunt radices, quæ validis sœpenumerō agitantur ventis. Palma non nisi pondere pressa succrescit, ignobilis cucurbita repente augetur, sed per terram repens subito rursus perit. Excelsum animum nullus dejicit novercantis fortunæ casus. Obstacula, quæ effugi nequeunt, dissimulando superantur. Optimè proinde Empedocles *Ferendū & sperandum esse censuit*. Querimoniis & lamentis turpiter indulgere virum non decet; pavoribus enecari partus est imbecillioris animi. Nec ideo flectitur adversarius, quia mens tua exacerbatur, sed potius in sinu gaudet, & exultat: alienæ miseriæ haud facile quisquam miseretur. Quisquis angitur, taceat, & toleret; afflictis cœlum est propitium, & per obscuras noctis teneas serenum & fulgidum revehit diem. Talibus cogitationibus a morali Philosophia mutuatīs mens altiūs erigitur ad DEUM, tanquam unicum & supremum rerum humanarum scopum. Potens est ille, & vult nos in adversitatibus consolari, ut Philo Alexandrinus Judæorum sui temporis facilè disertissimus perspicue agnovit, qui in Historia Legationis suæ ad Cajum Caligulam Romanorum Imperatorem mentem suam his verbis expressit: *Fortassis, ait, tentatio est hac nostri facili hominum, quomodo erga virtutem affecti sunt, & an didicerint adversos casus ferre fortiter. Vanalent igitur humana præsidia, quæ nos deserunt, modò in animo spes firma maneat DEUM nobis Servatorem non defore.* Hæc Philo sibi in solatium, nobis verò in doctrinam reliquit.

II. Dum ergo in herba spes messis periit, solummodo in Sanctissima TRINITATE unica nobis supererat fiducia. Comes Harrachius, qui causam nostram in se susceperebat, & tanquam suam curabat, perpensis omnibus circumstantiis & adversariorum potentia velut prudens Navarchus in pelago ventis & fluctuum procellis agitatō, jussit nos tantisper vela contrahere, & turbini cedere. In id verò potissimum incubuit, ne se absente res

*Magis lenta  
sunt magis fir-  
ma.*

*Siquid adver-  
saccidat, se-  
xendum est.  
Empedocles.*

*DEO fiden-  
dum.*

*Philo Judæus  
in legatione  
ad Cajum Ca-  
ligulam Im-  
perat.*

*Superest sola  
an DEUM fi-  
ducia.*

ges in Sacraio, ut vocant, Statū Consilio Cæsari proponeretur; hoc enim si fieret, & ibi causā nos cadere contingeret, nihil prorsū deinceps sperandum foret. Ipse interea usus prudenti simulatione in id summis viribūs contendit, ut nobis plurimos & potentes conciliaret amicos, quorum auctoritate in sanctiori consilio res nostræ fulcirentur. Brevi res aliam induit faciem; nec deerant, qui immodicō, quō Ordini nostrō studebant, affectu, suadebant fuggerendum esse Cæsari, cuius pectori sacram Religionem nostram jam noverant inhærere, ut Ipse in arcano conclavi assumptō unō alterōve Statū Ministrō benē nobis affectō causam ad suum beneplacitum decideret. Insinuatum id quóque fuit Imperatori, uteretur hic suprema, absoluta, & Cœsarea Auctoritate. Verū huic suggestioni Prudentissimus Princeps minimè acquievit, quod talis procedendi modus exoticum quid & peregrinum redoleret; servari voluit Juris Ordinem, cùm néque res adhuc ad extrema pervenisset; commendabilius fore Ordini nostro, si Statibus, quorum ratio habenda est, integrum dignitatem relinqueret, atque hōc pactō illud felicius eventurum, quod DEO Ter Optimo Maximo placitum fuerit. Nostri interea publicō abstinentes intra septa parietum se continebant, & quasi animum prorsū despöndissent, nihil amplius moturi videbantur, secretis duntaxat ad D E U M precibus intenti, quibūs felicem deploratæ propemodūm hujus causæ successum a Divina Clementia enixissimè postulabant.

III. Sub idem planè tempus ex Hispania missus Viennam advenit Fr. Antonius a S. Felice activam vitam professus, ignotus ipse, & idiomatis germanici prorsū ignarus, qui Patres quidem Viennæ degere sciebat, sed divisorium eorum exploratum minimè habebat. Cùm itaque vagus urbem oberraret, nec tamen inventiret, quos querebat, ad extremum ductus est in civium nosocomium, quod hospitale vulgò nominant; existimatus est enim unus ex numero solitariorum aut Anachoretarum, qui piæ peregrinationis sequeretur institutum; hominum opinionem exhausti corporis macies, & squallor ab itineris molestiis contrahens facili confirmabat. Publicæ itaque charitatis subfidiō interim sustentatus fuit, donec fortuitō cuidam amicorum nostrorum occurrisset, a quo intellexit, ubi nostri Patres habitarent, quibus ille se confestim adjunxit; idque in difficillimo illo rerum statu, cùm omnia ferè nobis adversarentur: postulatus autem fuit ex Hispania eo adhuc tempore, quō ob benevolentiam Cœsarium Principis Episcopi, & quorundam Optimatum favorem uberior spes impetrandæ Fundationis fulgebat.

IV. Post diversas alternantis fortunæ vicissitudines illuxit tandem Decretoria dies, quā in intimo & sacraio Consilio Statū (cui Cæsar Augustissimā suā personā semper præesse consuevit) causa nostra erat dirimenda. Comparuit opportunè Excel lentissimus Comes Harrachius; aderant quoque & alii non pauci ex Primoribus, quorum partem ambiguus trahebat affectus, alios haud obscura aversio ab Ordine nostro abalienaverat. Hos pri-

1688.

Ut Cæsar suā  
Auctoritatē  
causam no-  
stram resol-  
vat, suadetur,

Cæsar servari  
vult juris Or-  
dinem.

Fr. Antonius  
ex Hispania  
Viennam ve-  
nit ferè inco-  
gnitus, & in  
hospitali civi-  
co recipitus.

Ante Consi-  
lium Comes  
Harrachius  
ad favorem  
animos dispe-  
nit.

1688.

In consilio  
Imperator or-  
dinem laudat.

mùm demulcendos putavit Comes Harrachius, quos ille blandè aggressus a variis imprimis suspicionibus, quas ex malevolorum delationibus de Ordine nostro perperam conceperant, velut ab infixa spina liberavit, eisque efficacissimis rationibüs in suam sententiam traductis nostrae prætensionis negotium etiam, atque etiam commendavit. Cùm demùm prælente Cæsare omnes in consilio consedissent, decisis aliis Reipublicæ Statum concernentibüs causis, ad nostram petitionem perventum fuit. Hic Augustissimus Imperator in pleno Consilio Sacrum nostrum Ordinem multis exornavit laudibüs, videlicet, quòd sit Ordo rigidioris disciplinæ, exemplaris vitæ ac conversationis; addidit deinde piissimum Redemptionis captivorum Institutum, quòd hactenùs in suis Regnis caruerat, utilissimum ac summè necessarium esse, pluraque ex illo Reipublicæ emolumenta resultatura commemo-ravit. Hæc maturò actique judiciò per omnia subsellia trutinata, ventilatis quoque adversantium rationibüs; eisque perpensis, quas alii pro nostra Religione in medium protulerant; tandem æqua lance libratis omnibüs, controversia illis verbis definita fuit, quibus Cicero Legem duodecim Tabularum conclusit: *SALUS POPULI SUPREMA LEX ESTO.* Universi ergò cum insigni commendatione in eam venere sententiam: videlicet, cùm Urbs ob confertissimam populi multitudinem sit angusta, multisque præterea monasteriis obsita, licere Patribus Trinitariis extra Urbem pro Ecclesiæ & monasterii ædificio locum, situmque comodum exquirere, ut suo vacare possint Instituto. Acta sunt hæc octavæ mensis Novembris, quæ incidit in feriam quintam, in qua Octava Festi omnium Sanctorum celebratur Anno millesimo sexcentesimô octogesimô octavô.

Decernitur  
licere nobis in  
Suburbio Ec-  
clesiam & co-  
nobium con-  
struere.

Expediunt  
est Cæsareum  
Decretum in  
vigilia S. P. N.  
FELICIS 19.  
Nov.

V. Hæc in arcano Cæsaris Consilio peracta, ab Excelso Regimine per Cæsareum Decretum significata fuerunt imprimis Celsissimo Principi Episcopo Viennensi, ac deinde etiam Urbico Magistratui. Cæsareum Decretum in profecto Sancti Patris Nostri FELICIS VALESHI, qui est alter Sacri Ordinis nostri Fundator (aliud id felix omen) nonà nimirum & decimâ ejusdem mensis Novembris confectis Tabulis expeditum fuit vulgari, ut solet, idiomate, quod in Latiale sermonem conversum huic narratio-ni attexere libuit sequentibus verbis:

Decretum  
Cæsareum.

*Ex parte Sacrae Cæsareae Regiæq; Majestatis, Archi-Ducis Austriae Nostri Clementissimi Domini &c. Per inferioris Austriae Ex-celsum Regimen Patribus Discalceatis Sanctissime Trinitatis de Re-demptione captivorum intimandum. Postquam humillimè apud Sacram Cæsaream Majestatem supplicarunt, quatenus hic in urbe aut extra eandem, uti & in Provinciis Hæreditariis suscipi possent. Habita desuper ab his (quorum interest) informatione, Sua Sacra Cæsarea Majestas ex specialibus moventibus causis, interim sine consequentia sub octava hujus clementissimè resolvit, ut illi Patres.*  
(fine)

(finè expensis tamen dictæ Cæsareæ Majestatis, uti & hujus Urbis) in his Suburbiis aliquem habilem locum pro adficanda Ecclesia & Cœnobia exquirere valeant: sed observare habent, nè alii extranei Religiosi præter Hispanicam Nationem irrepant. Hinc præsenti Decreto Suæ Majestatis voluntas (postquam illa Celsissimo Principi Episcopo hujus Urbis, & aliis, quorum interest, intimata fuerit) dicitur Patribus notificatur. Actum Vienna 19. Novembris 1688. Inseruit Decretum istud suo Codici Autriaco D. Franciscus Antonius de Guarient Linguâ Teutonicâ, ut jacet Tom. 2. pag. 352.

Codex Au-  
striacus Tom.  
2. pag. 352.

Gratiae refe-  
runtur pro  
beneficio.

VI. Hac consecutâ, post tot difficiles & ambiguas confestationes, memorandâ victoriâ, devotissimæ gratiarum actiones persolutæ sunt Sanctissimæ TRINITATI, cui velut Primæ Causæ soli debetur omnis Honor & Gloria. Porro P. Joannes a S. Augustino, ut pariter Suæ Sacré Cæsareæ Majestati gratum animum ob hoc singulare Ordini nostro collatum beneficium testaretur, Augustissimi LEOPOLDI I. Romanorum Imperatoris alloquium expetivit, ac totius Ordinis nomine pro maxima Clementia, Pietatéque nobis in præsenti negotio exhibita submississimè gratias, quas potuit maximas, rependit, sancteque asseveravit: *Religiosos omnes tam præsenti, quam futuris temporibus, dum viscerint, bujus pulcherrimi beneficii memores ante ibronum Sanctissima TRINITATIS pro Ipsius, totiusque Augustissimæ Austriacæ Domus conservatione ac prosperitatibus preces perpetuò effusuros.* His benevolè auditis Clementissimus Imperator singulari affabilitate & exquisita quadam comitate Castellano idiomate, cuius optimè gnarus erat, & eō libenter loquebatur, in hac ferè verba respondit: *Ordinem Vestrum Paternitatum admisimus ingenti cum animi gaudio, propter devotionem, quam gerimus erga Sanctissimam TRINITATEM, & affectum, quò Redemptionis captivorum Institutum complectimur, quatenus pauperes captivos Christianos sub paganorum jugo ad libertatem & patriam anhelantes juvaremus, eisque solamen ac remedium, meliori quò possumus modò, providemus. Itaque ipsum Sacrum Ordinem in nostram suscipimus Tutebam & Cæsaream Protectionem, ejusque augmentum & exaltationem omnibus in occasionibus promovere curabimus. Orationes vero, quas Sue Religionis nomine mihi Vestra Paternitas offert, magni facio, easque denuò postulo, ut a Sanctissima TRINITATE id consequar, quod conducibilius fuerit ad ejusdem Nominis Honorem & Gloriam.* His perceptis post oscula Augustalis Trabeæ, aliisque devotissimæ reverentie signis exhibitis a conspectu Benignissimi Cæsaris summô animorum solatiô cordisque tripudiô nostri recessere: quibus rei ulterius promovendæ solicite intentis præsens annus feliciter elapsus est.

Cæsarii Re-  
ponsu[m].

## C A P U T VIII.

*Situs struendi cœnobii quæritur, & ægrè tandem  
invenitur.*

1689.

Especia no-  
stra Provin-  
ciae.Hospes & Ho-  
spitum.Patrum domi-  
sorium con-  
versatio.

I. Successit annus Redemptionis salutiferæ millesimus sexcen-  
tesimus octogesimus nonus; Augustissimi LEOPOLDI I.  
ab ejus in Romanorum Imperatorem electione trigesimus ter-  
tius: ab Ordine verò nostro condito quadringentesimus no-  
nagesimus primus, & ab eodem ad primitivam observantiam  
restaurato nonagesimus secundus: Almæ nostræ Provinciæ (a  
Sancto JOSEPHO, DEIPARÆ Virginis Sponsô, &  
CHRISTI in terris Nutrio nuncupatæ) primus. Quod bo-  
num, Faustum atque Fortunatum sit omnibus. Hoc anno, sicut  
& in pluribus, qui hunc exceperunt, quemadmodum in rerum  
primordiis usuvenire solet, cum gravibus luctandum fuit necessi-  
tatum incommodis. Hucusque nostri conductitum domicilium  
intra urbem incoluerant, idque in illo vico, qui a fabris clavo-  
rum nomen habet, néque procul a Domo Professa Societatis JE-  
SU distat. Diversati autem interea fuerunt apud quemdam ci-  
vem professione argentarium, virum honestissimæ conversatio-  
nis, intemeratae famæ, piùmque: nomen illi *Lux*, quod patrio  
idiomate Lyncem significat; & in lingua Latina (absit tamen in-  
vidia verbo) Lucem hinc prodituram, & caliginosos sub potesta-  
te Turcarum carceres Christianorum captivorum in tenebris &  
umbra mortis sedentium illuminaturam portendebat. Domi Pa-  
très pro solemini suo spiritualib⁹ exercitiis animum excolebant,  
statisque horis mentali orationi vacabant, aut junctis precib⁹  
Divini Officii pensum alternatim persolvebant; quibus ritè per-  
fundit curas demum ad exteriora converterunt, domoque egres-  
si alter eorum plerūmque apud Patres Societatis IESU in vicino  
Domus Professæ Templo ad aras operabatur; alter verò in do-  
mestico Sacello Comitis Harrachii coram ejus Excellentissima con-  
juge Missæ Sacrificium peragebat, quod etiamnum a nostris Re-  
ligiosis in illius palatii facello pretiosis marmorib⁹ & elegantib⁹  
picturis ad magnificentissimam formam reducto quotidie fieri so-  
let, quos pietas eorumdem comitum larga fundatione ad hoc  
obstrinxit. Mensa domi modica & frugalis fuit, sèpè levi cœnu-  
lā per diem contenti, quæ de oblato sacrificii stipendio paraba-  
tur, quod tamen non integrè in viētum expendebant, sed aliquam  
ejus partem in futuros usus reservabant. Universim relucebat in  
illis extrema pauperies, singularis modestia, silentium, & animi  
demiſſio, ut non minus pietas & religio, ac Patres diversorum  
illud sibi conduxisse & inhabitasse viderentur. Paucis: exigua il-  
lius domicili circumferentia, si incolarum virtus spectetur,  
grande in compendio referebat asceterium, & genuinam futuri  
cœnobii ideam, latèque insignem Sanctimoniorum odorem ex se  
diffundebat.

II. Gra-

II. Gratia Cæsaris, & concessa Facultas Viennæ Ecclesiam ac monasterium Ordinis construendi confessim ad Majores Sacræ Religionis nostræ in Hispanias perscripta fuit. Sed quia nostro ære fundandi monasterii fabrica surgere debebat, piique illi duo Patres se tantis sumptibus impares agnoscebant, ex iisdem Provinciis subsidium postularunt, quô levidensia initia stabilirent, & primam inopiam levarent. Petierunt deinde, ut novellæ huic plantationi idoneus Præses eligeretur, qui eam sua dexteritate ac prudentiâ fovere, & in luculentiore statum provehere posset. Etsi Majores Ordinis hanc Spartam P. Joanni libenter committerent, cui haec tenus totius moliminis pondus incubuerat, sed cum ille laborum esset quam honorum avidior, Italiam adire constituit, tum ut ingentem Præfecturæ sarcinam declinaret, tum ut vias rimaretur, quibûs Ordo noster ditionibûs Serenissimæ Reipublicæ Venetorum implantaretur, cuius haud vulgarem spem conceperat, cum in ultimo suo itinere, quô Venetas pertransivit, indigenas quoque tam propenso affectu Ordini nostro addictos observasset, quod ipse in eadem epistola Superioribus suis exposuit, nec se votorum compotem futurum dubitavit. Hæc per anticipationem dicta sunt, quæ circa finem hujus anni pluribûs exequemur.

III. Interim, dum responsum ex Hispania opperuntur, irrequietis curis locum aliquem indagabant, cui novi ædificii modum tutè imponerent. Hac solitudine, ceu vulnifico quôdam stimulô animi eorum identidem vellicabantur, cogeabanturque suburbia omnia sùsque déque percurrere, quin tamen locum invenirent, qui eorum desideriis satisfaceret; omnia námque suburbia quæcunque post ultimam illam cladem respiraverant, & struetis ædibûs ad pristinum decus revixerant, suis erant obsita monasteriis: Illa verò spatia, quæ juxta fanum S. Udalrici procurrunt, agriculturæ & sementi serviebant, quamvis & ipsa deinde post paucos annos superbis domibûs instrata in civitatem consurrexerint, quæ ab Imperatore JOSEPHO nomen mutuata Josephina dicitur. Templum S. Margaritæ Virginis & Martyris ad Alutarios situm spem quidem promittebat, locum huic sacræ ædiculæ adjunctum consequendi, ubi minoribûs impendiis cætera pararentur, quod etiam incolæ & vicini effictim desideraverant: sed deterrebat aëris iniquitas, qui ex vicinis paludibus, quas Danubius vernis pluviis auctus sua inundatione producit, sæpè corruptitur, & uliginosi sitûs exhalationibûs infectus grave sanitati (cujus potissimum inter homines religiosos haberenda est ratio) discrimen minatur, pietatémque accedentium sufflaminat. Aridebat eis quidem aliud Templum, quod in vico haud procul distito ingenti religione colitur. Locus ille vulgari nomine Hernals dicitur, CHRISTI passi memoriae consecratus, ad quem ex ipsa urbe certis intervallis (Stationes vocant) producuntur visuntur variae imagines, opere statuario elegantissime sculptæ, diversaque Dominicæ Passionis mysteria ad vivum repræsentantes. Huc pietatis ergo in solemni quadraginta dierum jejuniò incredibilis

1689.

Ex Hispania  
postulantur  
subsidiæ, item  
& qui præfit.

P. Joannes  
Venetiis Or-  
dinem im-  
plantare desi-  
derat.

Situs pro fru-  
enda Ecclesia  
& cœnobio  
quæritur.

Ad S. Marga-  
ritam.

In Hernals.

1689.

hominum multitudo confluere solet, & quia ob sitūs prærogati-  
vam saluberrimo aëre perfunditur, consulebat Illustrissimus & Re-  
verendissimus D. Joannes Baptista Mayer Viennæ Vicarius Ge-  
neralis, vir nostro Ordini addictissimus, ut illud Templum pe-  
teremus, pollicitus, se operam daturum, ut illō potiremur.  
Verū & hic quóque suæ non deerant difficultates, ex quibus  
primum locum facile obtinebat, quòd sacerdotibūs destituere-  
mur, qui Germanico idiomate instructi possent e vestigio curæ  
animatorum manum admovere. Huic accedebat, quòd pagus ille  
paulò longius ab urbe recederet, atque adeò nè suburbis quidem  
accenseretur: ex quo siebat, ut cùm locus ille metas a Cæsare  
nobis præfixas transgrederetur, aliæ, atque aliæ nobis essent fa-  
cultates extundendæ, ac (quod illi incommodum præcipue ab-  
horrebant) propter curam animatorum eidem Templo annexam  
inducendæ obligationes statui nostro minùs congruæ, nec reli-  
giose abstractioni, quam profitemur, conformes. Hæ causæ fe-  
cerunt, ut Patres a prætensione hujus Templi prorsùs abstine-  
rint.

Mirabiliter ad  
situm loci du-  
cuntur opera  
Comitis Har-  
rachii.

Card. Kollo-  
niczii in pau-  
peres benefi-  
centia.

In captivos  
præsentim

IV. Prægnantes has inter solicitudines implorato Sanctissi-  
mæ TRINITATIS Numine celerem opem experti sunt nostri,  
qui per varias ambages mirabiliter ducti, tandem præter expecta-  
tionem, cùm omnia alia cogitarent, ad desideratum portum ap-  
pulerunt. Res in hunc modum peracta fuit. Accidit fortassis,  
ut Eminentissimus Cardinalis Kolloniczius die quadam apud Ex-  
cellentissimum Comitem Harrachium desideratus hospes prande-  
ret. Ibi cùm hilariter convivarentur, jucundisque confabulatio-  
nibūs tempus fallerent, etiam mentio nostrorum Patrum injecta  
fuit. Hac opportunitate oblata testatus est Comes se magna so-  
licitudine curaque vexari, cuius hæc unica causa esset, quòd im-  
pensè discuperet, ut Cæsaris facultas gratiōe concessa Patribus  
Trinitariis Ecclesiam & coenobium Ordinis sui ædificandi quam-  
primum executioni mandetur: hanc autem plurimis remoris  
comperendinari, cùm nusquam se idoneus ad hunc finem locus  
offerret, aut si talis etiam occurreret, opes suas post nupernam  
Austriæ devastationem adeò esse attritas, ut ad hujusmodi fun-  
dum coemendum facultates sibi minimè suppeterent. Tenerimus  
hic Comitis erga Sacrum Ordinem nostrum affectus movit etiam  
Eminentissimi Cardinalis voluntatem, ad sublevandam quorum-  
vis pauperum inopiam suaptè propensam; vix námque reperire  
licebat aliquem, qui graviore necessitate pressus ad hunc Emi-  
nentissimum Principem velut ad sacram anchoram pro solatio,  
auxilio non perfugeret, & in ejus beneficentia paratum asylum  
non inveniret, utpote cui ad opem conferendam satís erat ino-  
piam novisse; communis ipse orphanorum omnium, pupillo-  
rum & viduarum Pater, in absentes æquè ac præsentes beneficis,  
omnes denique ardentiſſima sua charitate complecti solitus, præ-  
cipue tamen pauperes captivos Christianos sub paganorum ser-  
vitute gementes, quos ipse mediis omnibūs juvabat, & ut eos  
citiùs a tam ærumnoso jugo liberaret, publicè ad fores Ecclesiarum  
ſæpe-

sæpenumero eleemosynas corrogare non dubitabat. Qua Heroica prorsus virtute frigidos & invitatos ad parilis liberalitatis æmulationem accedit. Neque his contentus etiam Turcica illa mancipia, quæ vel ipse possidebat, vel ab aliis dono acceperat, si spes nulla supereisset ea ad salvificam Domini Nostri JESU CHRISTI fidem reducendi, ad confinia Ottomanici Imperii remisit, ut ibidem pro captivis Christianis permutarentur. Hac sua tam insigni charitate accuratissimè imitatus est virtutem veterum Sanctorum Episcoporum, Gregorii Magni, Ambrosii, Augustini, Cypriani, Remberti, & aliorum Sanctorum Præsulum, quibus solempne fuit ornamenta & Ecclesiæ vasa in pretium conflare, atque in redemptionem captivorum expendere. Is igitur Eminentissimus Princeps e re proposita commotus promisit Comiti se nobis in omnibus patrocinaturum, quod & reapse præsticit, atque ipsis operibüs declaravit, quanta solicitudine rebus nostris prospiceret. Et imprimis quidem ei in mentem venit amplissimum viridarium, quod in suburbio possidebat, cui domus alia adhæserat, quam non ita pridem ex testamenti tabulis Rudolphus Carolus Katius pro condendo Xenodochio legaverat, ut ibidem invalidi ac ætate confessi Cæsaris milites velut emeriti recipierentur, sustentarenturque. Cæterum administratio, ac deinceps pii operis executio ad Excelsi Regiminis consilium pertinebat. Sua tamen Eminentia cum præcipuis illius Consilii membris rem ita transegerat, ut domus illa nobis interim cederetur, ad quod etiam omnium propè consensum jam impetraverat, ut proinde nihil aliud restaret, quam ipsa traditio. Nostri hōc nuntiō exhilarati domum confessim & hortum inspiciunt, contemplantur omnia, & de futuris impensè solliciti totius domūs statum & conditiones penitus discutiunt. Verū neque hunc locum sibi elegit DEUS; emersere siquidem & hic non paucæ, eæque insuperabiles incommoditates & obstacula; nam si vel unicū duntaxat hujus domūs hypocaustum in usum facelli converterent (quod quidem Eminentissimus Cardinalis se sacra supellectili ornaturum, domum autem necessariis utensilibüs instruerum liberaliter spoponderat) remanebat ea in aede pro quatuor duntaxat religiosis habitatio. Præterea concessio hæc, vel potius precarius usus illius domiciliī nobis ad aliquod tempus solummodo indulgebatur, donec nimirūm eo in situ alia amplior domus pro pauperibus ædificaretur, ut Testatoris suprema voluntas impleretur. Neque viridarium a Sua Eminentia promissum nostrorum desideriis satis congruebat, quod licet esset amplissimum, ob domūs tamen Katianæ angustias, in qua invalidorum militum Hospitale erat exstruendum, metum Patribus acuebat, nè post breve a viridario Eminentissimi Cardinalis donando discedere cogerentur; similia námque pietatis opera celeriter augentur, amplioraque spatia sibi deposita; veluti paucos post annos ita factum vidimus, constructō celebri illō Xenodochiō, quod *Domus Pauperum* communiter appellatur, quódque piorum munificètiā in tantam amplitudinem jam excrevit, ut adjectis pluribüs

Ad Sancto-  
rum Patrum  
exempla.

Domus ad in-  
certum tem-  
pus offerue  
pro habitatione.

Domus Paup-  
erum.

1689. latifundiis, & ingentis sumptus ædificiis ac structuris nostro tempore propè quatuor millibus pauperum hospitium præbeat.

V. Porrò quamvis viridarium illud struendo nostro Templo & Cœnobio sat amplum videretur, cùm tamen domus interim habitanda tam prægrandibus incommodis esset obnoxia, quæ nec præsentia tuta esse sinebant, nec futuram certam aliquam securitatem spondebant, nostri exiguō ejus desideriō tenebantur. Nilominus nè sua Eminentia sumptus in ornando Sacello & domus supellectili coēmenda ob lubricum loci statum prodigeret, maiore solicitudine in id incumbebat, ut ob vicinitatem sui viridarii, quod nobis donare constituerat, stabilem & perpetuam Domus Katianæ possessionem nostro Ordini affereret, atque in hunc finem crebriore congressu cum Proceribus tractabat, ut æquivalente pretiō accepto structuram illius Xenodochii in alium locum transferrent. Nostros autem angebat, quod gravissimas difficultates adversus hoc propositum consurrecturas metuerent, quibūs desideria sua in longum tempus differri videbant, cùm tamen illi vix moram ferrent, adeò appetenter novi Cœnobii fundamentis quamprimum jaciendis inhiabant. Instabat quoque, & quasi præforibus erat vernum tempus, quod eorum desideria magis etiam accendebat, efficiebātque, ut quantocyūs cuperent rebus principium dare.

VI. Hæc inter, dum illi statum loci frequentiūs perlustrant, vident domum quamdam & hortum memorato Cardinalis viridario e diametro ferè oppositam, & in aduersa plateæ parte modico colliculo incubantem. Hæc domus erat sub potestate nobilis cuiusdam Matronæ viduæ. Quam cùm inspexissent, deprehenderunt ædificium illud esse quidem aliquantulum angustum, verumtamen ad mediocrem formandam Ecclesiam & viginti Religiosorum habitationem aptam. Nam super inferiora hypocausta surgebat & alia contignatio: erat etiam in loco paululum separato, & in ejusdem domus septis altera quasi peculiaris domus ad priorem pertinens, & in aliquot cameras distincta continebatur. Hortus vero de uno ad alterum plateæ latus sat spatiösè procurrebat. Hæc eis utcunque placuerant. Decreverunt itaque periculum facere, utrum hanc viduam ad venditionem hujus domus inducere valerent. Illa quidem sagax mulier etsi mentem suam ad primam licitationem nollet aperire, ut fieri assolet, quatenus auctius pretium exprimeret; non tamen visa est emptorem aspernari. Nostri haud diu cunctati omnia ex ordine referunt Excellentissimo Comiti Harrachio, eidēisque sitūs opportunitatem efficacibus verbis exponunt, enixè flagitantes, ut ipse Comes Eminensissimum Cardinalem blandis verborum officiis eò permovere dignaretur, quatenus illos sumptus, quos in ornando Sacello domoque instruenda cogitabat expendere, in hujus domus emptiōnem converteret; aucturos nos interim de pretio, quō fieri poterit modō meliore. Comes oblata occasione Cardinali nostri desiderii scopum candidè aperuit, cui hæc propositio impendiō planuit; tum quod hac ratione citius & faciliūs præfixum finem affe-

Domus vici-  
na magis pla-  
cket.

Licitatio ten-  
satur.

Eadem refe-  
runtur Comi-  
ti Harrachio.

assequeretur, tum quod hōc pactō religiosis stabilis, secura & commoda habitatio conciliaretur. Protinus itaque utriusque votu annuit. Agitur proinde de domūs & horti pretio: verū oppidò id altum appendebatur. Quod ubi Eminentissimo Cardinali relatum fuit, vehementer repugnavit, nec sinè quodam displicentiæ signo subjunxit: alibi domos leviore pretiō reperiri posse. Graviter id tulere Patres, ingentique mœrore obruti, ne scio quæ, adversa sibi præsagiebant; verebantur enim, ne propensissimus hucusque Princeps irritatus a nobis prorsus averteretur. Dolebant præterea optima sua consilia ita dissipata fuisse. Crescebat animi dolor, cum indies major hujus loci opportunitas fere oculis eorum subjiceret, adeò quidem, ut sua opinione neque aptiorem, neque commodiorem fundum in Suburbiis reperi possent sperarent; undē eō prætermisso plura & graviora incommoda haud vanè tibi metuebant. Spes quidem erat, et si modica, Dominam illius ædis aliquid de pretio remissuram. Tentant igitur, & pertentant frequentiūs, scrutantur & ruminantur, quomodo res per amicos melius componi valeat. Superū tandem benefiō, & prudentissimis Comitis Harrachii rationibūs se Cardinalis tandem permoveri sivit, ut in hanc emptionem consentiret, sub hac tamen conditione, si pretium minueretur; hōc nāmque impetratō promisit, aliquō subsidiō se nobis minimē defuturum.

1689.

Pretium ab  
emptione de-  
mūs deterret  
Card.

## C A P U T IX.

*Domus pro ædificando Cœnobio magnis superatis difficultatibus comparatur. Inventa ibidem vita SS. PP.*

*NN. JOANNIS & FELICIS æreis expressa  
laminis pro fausto omine habetur.*

I. **L**uctabatur nunc causa nostra pavorem inter & desiderium cum irriti conatus periculo. Non latebat Patres astutum mulieris ingenium, undē non immitiō metuebant, né a præstituto semel pretio esset unquam recessura. Acuebat sollicitudinem, quod scirent, pretium absque ulla comperendinationis mora post signatas venditionis tabulas statim esse persolvendum: situm verò procantibus vana spes erat in loculis. Complanata sunt tamen præter expectationem omnia obstacula, utpote quæ benefactorum & fautorum nostrorum benignitas suā industria & solertia lævigaverat; atque sic tandem experientia magistrā didicimus, quam verum sit illud, quod Cassiodorus etiam fatetur: *Esse adjutorium, quod in necessitate præstatur.* Id quod nos per decursum hujus libri non sinè gratiæ mentis memoria frequentiūs contestabimur.

Patrum soli-  
citudo & fau-  
torum auxi-  
lia memoran-  
tur.

II. Domus illa cum horto in ea suburbiorum parte stationem obtinet, quæ a porta Scotensi (hoc nomen a vicino monasterio

Situs fundi.

1689.

Reverendorum Patrum Benedictinorum antiquitùs ab Scotis inhabitato traxit ) mille circiter passibūs in Oecidentem recedit ; nam post nupernam obsidionem pro commodiore præsidii defensione ducentarum cannarum sive orgiarum intervallō excisis ædibūs , complanatōque solō suburbia in circuitu remota fuerunt. Ipsa verò platea , cui nostrum Cœnobium nunc insidet , ab amne præterfluente , qui a picis nomen habet , picarum vi-  
cūs & vernaculo sermone *Alstergassen* appellatur. Vel fortè me-  
liùs a Domino *Als* cognomentō , unde vicinus pagus Hernals cum interfluente rivulo ; ille námque ibidem prædiis olim latè dominabatur , nominis originem desumpserit. Eadem nostra platea in antiquoribus monumentis dicta fuit *Venusta* ; id fortasse ob loci amoenitatem & vitiferos colles , qui grato virore om-  
nem tunc viciniam latè occupabant. Verùm de his satis. Erat Domus illa in potestate Dominæ Mariæ Elisabethæ Kochin de Adlersburg , relictæ viduæ ejusdem cognominis Secretarii in Ex-  
celso Regimine. Ad hunc ergò situm consequendum nostri om-  
nem suam fiduciam in Excellentissimæ Dominæ Comitis Harrachiæ auctoritate collocauerant , quam proindè Patres supplices adierunt , eámque obnixè rogárunt , velit ipsa pro suo in nos favore hanc causam in se suscipere , ac de emptione illius posses-  
sionis cum domina loci faciliore , quô fieri poterit , modo transigere. Accersita vidua , quæ jam aliàs comitissæ nota fuerat , blandè a Sua Excellentia de venditione domūs compellatur : ve-  
rùm illa caute marpesiâ durior , cùm se hīs artibūs peti videret , mordicùs negavit sibi domum esse venalem. Sæpiùs deindè ad comitissam invitata , & eadem de re interpellata , animum in priore sententia obstinàrat. Nec tamen ideo negotium nostrum destituit Excellentissima Patrona & Benefactrix nostra , sed ipsis a difficultatibus acriùs exardescens eandem viduam crebriùs accersivit , eámque in conclave deductam & singulari honoris contestatione , quæ non facilè aliis ejusdem conditionis fœminis a nobilioribus exhibetur , penè se assidere jussam blandis verbo-  
rum officiis , & familiaribūs confabulationibūs in horas sæpè pro-  
tractis ad suam voluntatem traduxit , ejusque consensum ex-  
pressit , undè & apertè est contestata , ab se domum istam non alia de causa vendi , quām ut Suæ Excellentiæ morem gereret , cuius gratiis se omnimodis commendatam percuperet. Conven-  
tum est de pretio satis justo & moderato. Nostris tamen , spe-  
ctatâ eorum inopiâ fermè impossibili , utpote quēis nec numi-  
erant , néque loculi , & qui ægrè admodum de paucis eleemosynis ex sacrorum stipendiis corrogatis vitam tolerabant ; ut pro-  
indè altiùs evolare eis prorsùs impossibile visum fuerit.

Conventum  
de pretio do-  
mūs.

A Nobilium  
Dominarum  
Crucigerarum  
congregatione  
ad emendum  
fundum obti-  
netur ele-  
mosyna.

III. Verùm Sanctissima TRINITAS , cuius hic potissimum  
causa agebatur , cùm hoc totum negotium ad majorem ejus glo-  
riam tenderet , citò nos ab hac exemit angustia. Eminentissimus  
siquidem Cardinalis significavit nobis proximè affore opportunita-  
tem quamdam non modicam eleemosynam impetrandi ob instan-  
tem solemnem Nobilium Crucigerarum Dominarum conventum ,  
quæ

quæ eo tempore largam sanè stipem in pia opera conferre assolent. Consultuit igitur Cardinalis, ut ELEONORÆ Augustæ Imperatrici, Supremæ nimirūm illius Ordinis Magistræ & Præsidi, atque cæteris Nobilissimi hujus Cœtus Sodalibus præviè supplémentum libellum typis expressum porrigeremus, & in eo pro Cœnobii fundo coëmendo proximè conferendam oblationem petemus. Pridie Kalendas Aprilis, quæ dies eō annō in feriam quintam post Dominicam Passionis inciderat, comitia hujus illustrissimæ Sodalitatis in facello Aulico coacta, atque in iisdem plures clarissimi sanguinis Fœminæ huic Cœtui aggregatæ fuerunt, quæ deindè cum aliis Crucigeris pro solempni hujus Ordinis insignem pecuniarum vim in pia opera contulerunt. Cæterū Diva Augusta, quidquid ibi collectum fuerat, nobis ex asse consignari mandavit, quod etiam nostri non minore gaudio quam gratitudine receperunt.

1689.

IV. In hac etiam necessitate, sicut & in omnibus aliis Excellentissimus præterea Comes Harrachius suò nobis præsidio adfuit; jussit enim pro supplemento deficientis pecuniæ nomina contrahi, ipse verò pro illis dissolvendis se vadem constituit, censumque de suo se pensurum recepit. Eminuit hic quóque Petri Brunetti insigne erga nostram Religionem studium, qui cùm esset Cæsari a Thesauris, & non solum hac dignitate, sed etiam fide ac probitate conspicuus pro nostris Patribus, qui in Austria hospites erant, & paucis cogniti, mutuò accepit, ut quantò minora essent debita, tantò faciliùs successivè dissolverentur, pollicitus, se post semestre pecuniam cum fœnore restituturum. Hoc pætô stipulata pecunia brevè coaluit, pactumque pretium viduæ numeratum fuit: ipsa domus verò cum horto inter solitas solemnitates præsentéque publico Notariô in nostram cessit possessionem.

V. Eadem adhuc luce convasatis utensilibus veteres migravere coloni, novi autem succedere maturabant. Illi removent impedimenta, hi vacua supplent, & ornant spatia. Hæc inter Divina Providentia palmarî ostentô manifestare voluit, has ædes jam pridem a Superis Sacro nostro Ordini fuisse decretas; etenim dum illi loca omnia excutiunt, ut in perpetuis migrationibus fieri consuevit, reliqua inter domûs mobilia, chartasque variis generis & foliorum lacinias abituentes reperiunt Historiam vitæ Sanctorum Fundatorum nostrorum JOANNIS de MATTA, & FELICIS VALESII olim Lutetiis Parisiorum a Theodoro Thuldeno Belga, celeberrimo sui Sæculi Pictore, in Templo Ordinis Sanctissimæ TRINITATIS Redemptionis Captivorum ad S. Matritum elegantí penicillô, coloribusque animatam, deindè quóque ab eodem Pictore aquâ fortî ærēs tabulis, in plura exempla propagandi causâ calcographicè incisam a Fratribus Domus S. Maturini cum insigni Ordinis elogio Reverendissimo P. Ludovico Petit ejusdem Ordinis Majori ac Generali Ministro Annō Domini millesimô sexcentesimô trigesimô tertio dedicatam, cuius propylæum sive princeps folium hanc inscriptionem præferebat: REVELATIO ORDINIS SANCTISSIMÆ TRINITATIS

O

RE-

Comes Harrachius pro nobis se vadet, & ad debitum censum obstringit.

Operâ quoque D. Petri Brunetti juvatur.

Domus præsumptum solutum est.

In empta domo reperitur exemplar in charta vitæ SS. PP. NN. JOANNIS & FELICIS fratris tribulis Parisis Anno 1633. excutum.

1689.

**REDEMPTIONIS CAPTIVORUM.** In calce quoque ejusdem primi folii non sīnē mysterio præsentis nostræ negotiationis sequens lema inscriptum visebatur: *Exaudivit pauperes Dominus, & vincos suos non despexit. Psalm. 68.* Per omnia non vulgaris raritas! haud alibi post tot annorum intercapedinem reperta, & non facile reperienda. Quam dum veteres domūs coloni primò vident, mirantur ac hærent, mussitantque ad invicem, nec enim id se habuisse priùs meminerant. Vacant igitur tantisper ab opere fere inspectantes, & feriantur, dum interim singula folia singillatim perlustrant. Hoc peregrinum spectaculum magna admiratione intuentes suspendit. Admiratio porrò fecit, ut imprimis circa omnia incerti hæstarent; deindè verò in varias suspiciones abi- rent, ad extreum tandem liquidò agnoscerent, expressas hic esse res Ordinis ejusdem, cui nunc domus emptionis titulō in possessionem cedebatur. Hac opinione concepta palam asseverarunt, id ex Divina voluntate processisse, nec rem aliter interpretabantur. Religioni itaque sibi duxerunt, id e domo tollere, quod non suā industriā, sed casu fortuito & Superū Providentiā detexerant; firmiter persuasi, se ideò in has tabulas incidisse, ut constaret, locum hunc coelesti consilio nostro Ordini destinatum fuisse. Spontè igitur eas icones Ordinis indices ac prænuntias domūs in mantillas Patribus cum boni dextrique ominis compreca- tione tradiderunt: quæ hucusque inter cætera Ordinis cœlata monumenta grandi librō in pinacothecæ modum concinnatō ob illius rei memoriam affervantur.

## C A P U T X.

*Sacellum adornatur, & in eo Sanctissimum Eucha- ristie Sacramentum collocatur.*

Pars domus  
in sacellum  
convertitur.

Ut SS. Sacra-  
mentum col-  
locetur, nostri  
orant Episco-  
pum.

Dubium Epi-  
scopi solvitur.

I. Cleriūs, quām credi poterat, tota domus aliam faciem assumpsit, & jucunda metamorphosi de profana in sa- cram ædículam transivit. Cura prima fuit aram ponere, Eucha- risticum ornare solium, aperire Sacellum, cætera verò hypocau- ta in Fratrum mansiones & triclinium adaptare. Omnibūs istis ex animi sententia peractis, latus rei nuntius ad Celsissimum Principem Episcopum Viennensem defertur, quem nostri sup- pliciter invitârunt, velit ipse in nostro Sacello Sanctissimum Eu- charistiæ Sacramentum collocare; id summum & unicum eorum fore solarium, quod præ omnibus votis a Sua Celsitudine impe- trare desiderarent. Princeps Episcopus, qui nobis insigniter fa- vebat, religiosos oratores benevolentissimis auribūs exceptit; sed, ut erat Rituum Ecclesiasticorum flagrantissimus zelotes, re- spondit: se priùs ad futurum, visurūmque, an locus ille sit satis securus, & pro tanta Majestate excipienda decenter ornatus. Eo námque tempore domus nostra postremum ferè locum illo in

sub-

suburbio obtinebat, in propatulo sita, atque adeò expilationi, aliisque grassatorum injuriis exposita; quam undique ambiebant, parietinæ, ac vastatarum ædium ex nuperna obsidione busta & rudera, quæ latrones sæpè ex perditorum hominum colluvie in nocturnum receptaculum convertere solebant, ut proindè prudenterissimo Principi suspicio oborta sit, ac si locus ille debita securitate careret. Nostri ad hæc, ut Suæ Celsitudini omnem scrupulum eximerent, afferunt, Sacellum pro primigenia sua paupertate decenter esse ornatum, securitatem verò minimè defuturam, quod benè munitis & obseratis portis ipsi suas vigilias Sacrorum custodiæ devovissent. Nec tamen ideò, qui erat in hoc Antistite Ecclesiasticæ disciplinæ zelus, referentibus integrum fidem adhibuit, sed ut nos majore gratiâ cumularet, eadem die inexpectatus adhuc, & quidem celeriter præ nostris foribus adfuit suismet oculis exploraturus, an omnia, prout a nobis dicta fuerant, se ita haberent. Ergò dum omnia sagaciter inspicit, examinat, & contemplatur; deprehendit demùm cuncta esse bellè disposita: Sacellum nitidum, benè stratum, ornatumque; super aram eminebat Sanctissimæ TRINITATIS piæ tabula, quæ etiamnum hac nostra ætate vitro inclusa in Sacello montis Oliveti, quod proximè a Sacrario nostræ Ecclesiæ abest, cum inscriptione in perennem hujus rei memoriam asservatur. Solium adorationi Sanctissimi Eucharistiae Sacramenti deputatum splendidam faciem ostendebat: aderant quoque candelabra cum cereis, vasæ cum floribus; omnia demùm quaquaversum singularem spirabant devotionem & cultum pietatis in ædicula quamvis paupere; nam ut inquit Tullius: *Omnium rerum principia parva sunt, & suis usq[ue] progressibus augentur.* Porrò, quod caput erat, Janua Sacelli seris probè munita fuit. Hanc Princeps Episcopus ideò peculiariter laudavit; quod versus atrium pateret, atque adeò devotorum ingressui aditum panderet, quin sequiori sexui occasio relicta esset pietatis causâ in domus interiora penetrandi. Optima sanè cautela, quâ variis suspicionibus & incommodis via incidunt. His ritè examinatis, probatisque Celsissimus Princeps inenarrabile gaudium præferens benè precatus est, prolixèque indulxit, ut sequenti die Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum in hoc Sacello collocaretur.

II. Observantiæ & gratitudinis ratione ad hunc solemnem actum invitati fuerunt Eminentissimus Cardinalis Kolloniczius, & ipse Celsissimus Princeps Episcopus, rogatique, ut suâ honorificentissimâ præsentia hanc solemnitatem benevolè condecorare, atque prima sacrificia celebrare dignarentur; hanc enim nobis fore gratiam longè desideratissimam, si exile nostrum facellum tantorum Principum manibus initaretur. Pergrata utrique fuit hæc invitatio, quam proindè gratissimis animis admiserunt, atque præstò se adfuturos promiserant. Excellentissimus Comes Harrachius cum lectissima consorte, qui pariter invitati adesse voluerre, ad hanc functionem plures de præcipua Urbis Nobilitate Proceres convocarunt, & in novella domo nostra opiparum

Cicero lib. 5  
de finibus.

Collocatus  
SS. Sacramen-  
tum 30. A.  
prilis.

1689. convivium adornarunt, ut ipsi velut primi Parentes, Patronique nostri plures nobis benefactores parerent; qui hujusmodi comitate sèpè non infeliciter conciliantur. Sequenti luce, quæ dies erat mènsis Aprilis trigesima, Excellentissimus Comes Harrachius multo manè sepositis aliis curis, atque gravibus, quæs detineri poterat, negotiis, impigrè adfuit, postquam nostri omnibus jam dispositis Sacellum juxta Ecclesiæ Ritum benedixissent. Hoc itaque Comes ingressus impendiò gavisus fuit, quod operam suam tam benè locatam cerneret: ut proindè nullum finem faceret sibi nobisque de prospero hujus negotii successu congratulandi. Hunc paulò pòst subsecuti sunt Eminentissimus Cardinalis, & Celsissimus Princeps Episcopus, quorum singuli servilis turbæ comitatu stipati comparuerunt; quibus Comes Harrachius unâ cum nostris Religiosis obviâ effusus, ut erat vir arguti facetique ingenii, eos in hunc modum allocutus est: *Ad recipiendos tantos Principes in communitate venimus.* In tantum se vir Excellentissimus de gradu suo demisit, ut ipse spontè suâ personâ trium fratum numerum adaugere voluerit. Post breve deindè tempus advenit quóque Excellentissima Domina Comes Harrachia cum filia sua Rosa. Ut nec cum aliis multis invitatis adveniret, consultum erat ob loci angustiam: venire tamen ex primoribus successivè in Sacellum, quotquot potuere, & sacra ædicula poterat recipere.

*Comes Harrachia Ecclesia prima ornamenti præbuit.*

III. Vestimenta sacra opere phrygio, auróque intertexta, sicut & reliqua Altaris ornamenta æquè pretiosa ex pia beneficentia ejusdem Excellentissimæ Dominæ nostræ Comitis prodierunt; cui DEUS Ter Optimus Maximus, ut dubitare non possumus, jam æternam mercedem rependerit, ejusque piam in nostros munificentiam cœlesti præmiò remuneratus fuerit. Ejus certè maternum in nos amorem, beneficentiam & solicitudinem, cuius impulsu plurimos in se suscepit labores, ut res nostras proveheret, eásque pro viribus extolleret, ac fulciret, dum conventus Viennensis & Ordo notter stabit, lapides loquentur, & beneficia enarrabunt posteris. Dilexit illa nos ut filios, ad quam etiam nostri in omnibus tam prosperis, quam adversis perindè ac ad Matrem confugerunt. Nec immerito *Mater nostra* fuit compellata, quod domi forisque ita notum evasit, ut in vulgus quóque emanaverit. Eò titulò ipsa gloriabatur, quò nobis ubique magnum conciliavit decus, auctoritatem & venerationem. Nemo ipsa vivente nostris quaque ratione offendere, vel injuriâ lacesere ausus fuit; quinimò si quis gratiam ejus ambiret, priùs Ordini nostro addictissimum animum præferre, eumque tam verbis, quam beneficiis testari necesse habebat. Fieri autem nequit, ut pro dignitate literis exequamur, quantum nostris semper profuerit Excellentissimæ hujus Dominæ Præsidium.

IV. Ad instantis nostræ solemnitatis functionem regredior. Celebrabatur ea majore pietatis sensu quam pompa: horâ competenti Eminentissimus Cardinalis sacrâ indutus vestimentis novo in Sacello omnium primus Sacram exorsus est Liturgiam, quam ille tanta devotione peregit, ut suæ pietatis sensum cunctis

*Mater nostra  
appellata.*

*Card. Kello-  
niczius San-  
ctissimum  
collocat.*

ad-

adstantibus infuderit. Quà finitâ Sanctissimam Eucharistiam hie-rothecæ inclusam dato thure adoravit, eadémque præsentibus ritu solito benedictionem impertivit, ac deinde in præparato so-lio publicæ adorationi exposuit; in quo etiam loco mansit per reliqua ejusdem diei Sacrificia. Acceslit postea Divina Mysteria celebraturus Celsissimus Princeps Episcopus, quæ in honoratissima illa præsentium Procerum corona non dispari devotione per-egit. Hunc excepere quatuor Sacerdotes, duo nimirùm suprà-laudatorum Principum Sacellani, ac totidem nostri Ordinis Re-ligiōsi, qui in eadem ara DEO incruentam Hostiam immolare-runt. Omnes insolita tenuit mentis exultatio, eò, quòd Divinæ Majestati in Sanctissimo Eucharistiae Sacramento sua obsequia de-ferre, & in novo hoc Sacello Sacrificiorum primitiis interesse me-ruerint, vaticinò quasi spiritu præfagientes, quod postmodùm eventus comprobavit, angustam hanc ædiculam brevi in magnifi-cum, splendidūmque Templum transituram. Missarum sole-mniis ritè absolutis, ultimus Sacerdos, postquam Sanctissimum Sacramentum more solito thuris incendiò honorāset, eódémque circumfuso populo benedixisset, illud demùm tabernaculo (ut vocant) inclusit, atque hac ratione præsentium devotioni inte-grè satisfecit.

V. His non sinè ingenti omnium lœtitia peractis Eminentissimus Cardinalis, Celsissimus Princeps Episcopus, & Excellentissimus Comes noster ad aulam Cæsaris festinanter perrexerunt, mensæ Imperatoriæ Majestatis pro solemni astituti. Obsequiis suis perfuncti celeriter rursus ad nos reversi fuerunt, ut prandio intercesserent, quod ingenti sumptu & exquisitâ magnificentiâ pro ta-lium convivarum dignitate apparaverat Excellentissimus Comes Harrachius. Mensæ accubuerunt servatâ cujusque in ordine se-dendi prærogativâ. Appositis dapibüs sermo imprimis natus est de cultu Sanctissimæ ac Individuæ TRINITATIS, quæ est om-nium sanctæ nostræ Fidei mysteriorum anacephalæosis five com-pendium. Inde delapsi sunt ad Trinitarii Ordinis initia, incre-menta, & eidem annexum Redemptionis captivorum Institutum, quibüs non minus sanctis, quam eruditis colloquiis epulas lauda-biliter condierunt. Remotis mensis pari affabilitate & affectu ii-dem sermones in longum tempus non sinè spiritûs solatio pro-tracti fuerunt, donec dies in vesperam declinasset. Tam exqui-situm hujus festivitatis splendorem nox invida sua caligine subdu-xit, quam tanti luminis & nobilitatis Principes peros, paulò ante, quam tenebræ ingruissent, in urbem reversi ædes suas repe-tierunt. Nihil tamen in eis caligo noctis extinxit, aut obfusca-vit, ut potè qui flagrantissimum illum amorem, quô in Ordi-nem nostrum exarserant, perpetim deinceps conservârunt.

VI. Stabilitis in hunc modum Viennensis Cœnobii initiis Patres incredibili delibuti sunt gaudiò, quòd tam feliciter ad me-tam desideriorum suorum pervenerint. Et, si, quod res est, fa-teri velimus, habebant illi, cur sibi plauderent; nullum enim aliud Sanctæ Religionis nostræ monasterium tam gloriosum

1689.

Prima sacri-ficia.

In nostra de-s-mo prandea-

Gloriosa de-mus Viennensis principia,

1689. principium, ut meminerant, habuit, nec splendidiore magnificientia surrexit. Pro quibus beneficiis Sanctissimae TRINITATI Bonorum omnium Fonti & Scaturigini laudes sunt, & perpetuae gratiarum actiones.

*Per omnes  
conventus  
DEO gratia-  
rum actiones  
persolutas.*

VII. Nuntius tam prosperi successus celeriter in Hispaniam penetravit, qui Patres Ordinis tantò gaudiò perfudit, ut in publicam hilaritatem resoluti Madriti imprimis, deinde per reliquos conventus omnes Hymnum Eucharisticum: *Te Deum Laudamus* festivis vocibüs decantaverint, ut se bonorum omnium Largitori pro tam insigni beneficio gratos exhiberent. Atque in tantæ solemnitatis anniversariam memoriam Viennæ nostris temporibus superius memorata Sanctissimæ TRINITATIS Imago, cuius tunc tanto splendore primùm cultus incepit, quot annis super principem aram publicæ venerationi ad trigesimam mensis Aprilis propinquit.

## C A P U T XI.

*Ad novum Sacellum exultantis populi confluxus &  
devotio. Domus in cœnobii formam aptatur. De re-  
cipiendis ad Ordinem tyronibus agitur.*

*Populi ad de-  
votionem  
concursum.*

I. Postera dies Dominica fuit prima mensis Maii, Festo Sanctorum Apostolorum Philippi & Jacobi sacra. Frequens itaque hominum turba e vicinis oppidis ad urbem properat, ut Ecclesiastico præcepto de audiendo Missæ Sacrificio satisfaciat. Ceterum dum penes novum hoc Sacellum transeunt, audiunt inusitatum sonitum nostri tintinabuli ad Missam audiendam vocantis: concurrunt igitur confestim, &, ut est vulgus novitatis amicum, sollicitis oculis explorant, quid tandem rerum in hac ædicula ageretur; ad paucos enim adhuc novæ fundationis notitia penetraverat. Locum ingressi vident, ac stupent Sacellum novum, mirantur bellè ornatam domum, & quam nudiūs tertius profanam adhuc noverant, hodiè in sacram adem, cœnobiumque Religiosorum fuisse conversam gratulantur. Brevi morâ interjectâ tam densi Spectatores affuxerant, ut eos loci angustia minime caperet: Illi autem, qui aditu arcebantur, fores occupabant, fenestras conscendebant, totumque atrium replebant. Assistunt uni alterique Missæ Sacrificio, ex quo ingens in omnes solatium redundavit, quod penes januas ferè suas nocti sint sacram ædicolam, quam illi felicitatem pridem nequidquam optaverant; brumali præsertim tempore, dum acrior aëris intemperies sœvit, que eis molestum sane ad urbem, sive ad aliam dissitam Ecclesiam iter imperaverat. Idem vicina congratulabantur oppida; quēis sœpè Sacrorum Præses, dum alio in vico pro munere suo Divina peragit, Missæ audiendæ copiam subduxit; in proximo siquidem pago, Hernals dicto, eo tempore Dominicis, festisque diebus, & ne id quidem semper, unicum duntaxat celebrabatur

*Vicinis oritur  
commoditas.*

Mis-

1689.

Misere Sacrificium : unde siebat , ut ii , qui ad domū custodiam interim remanserant , spirituali hōc solatiō privarentur , aut certe necesse haberent , summo manē longam viam inire , ut tempestivē ad urbem pervenirent . Gaudebant itaque sibi nunc oblatam opportunitatem , qua citra ullum incommodum suum Præcepto Ecclesiæ satisfacere possent : Postquam autem fama hujus rei in vulgus exiūset , aucta sunt continuò per plateam , omnēmque latē viciniam ædificia , crevit accolarum numerus , accessere splendida & superba Magnatum Palatia , auctus est domuum census & pretium , & ut paucis complectar plurima : jactis nostri Templi & Monasterii fundamentis hoc suburbium itā effloruit , ut cūm ab initio nostrum Cœnobium inter postremas hujus plateæ domos computaretur , nunc longa serie protractis ædificiis in capite ferè situm censeatur ; cui insuper ex una alterāque parte alia superior & inferior ejusdem nominis platea accessit . Tanta utilitas in Rempubli- cam ex hujus asceterii structura redundavit .

II. Increbrescente quotidiè magis hujus Sacelli amā , crevit indies etiam magis confluentis populi multitudo . Plures novitate allecti , aut curiositate dusti sciscitabantur , quis , qualisque hic Ordo esset ? quod Institutum ? qui Religiosi , nunquam prius in his terris viisi , sed ne auditи quidem ? Cūm autem nostri singulas quæstiunculas aptis responsis dissolvissent , factum est , ut nonnulli adolescentes in bivio deliberationis constituti vocante DEO animum ad hoc vitæ genus amplectendum appellerent , & in gremium nostri Ordinis admitti suppliciter rogitarent . Quidam responsum fuit , ut se ipsos probarent ; Ordinem esse rigidioris disciplinæ ; redirent tamen huc crebriùs , locum frequentarent , Statuta Ordinis & vivendi regulas explorarent , adventuros brevè ex Hispania Patres , qui votis eorum annuere possint , ac velint .

III. Hæc dum in Germania transiguntur , in Hispania die quinta mensis Maji , ut ex sacræ nostræ Regulæ sanctione de triennio in triennum fieri consuevit , in Complutensi Collegio sub Nostro P. Petro a S. Michaële Majore ac Generali Ministro celebrabantur Ordinis comitia , sub ipsius Viennensis Cœnobii ortum omnino prima : factis electionibūs & salutaribūs ad Religionis gubernationem Decretis editis declarantur dubia a diversis Ordinis Conventibus ad Generalem Congregationem transmissa . Providentur cæteris : agitur quoque per transennam , & præviè de Nationibus Polonorum , & Germanorum sacræ nunc Religioni nostræ accessuris : Statuitur consulendam esse Sedem Apostolicam in abolendis nonnullis impedimentis , quæ professionem harum Nationum irritam reddere potuissent , quæ deinde etiam a Sacra Rituum Congregatione prolixè sublata fuerunt , cujus Declaratio sequentis Definitorii tempore in Hispaniam pervalit , atque hōc pætō antiquata aut restricta sunt nonnulla impedimenta , quæ in illis Europæ partibus evitari vix poterant . Qua de re inferiùs fuisse nobis sermo occurret .

IV. Decimā octavā mensis Junii Viennam in novæ plantationis subfidium advenerunt P. Josephus a Matre Dei olim in

Propter Ecclesiam & cenobium nostrum augetur suburbium .

Quidam Ordini adscribi cupiunt .

Generalia Ordinis comitia .

De dispensandis impedimentis ad professionis valorem circa Germanos & Polonos aguntur .

Plures Patres adveniunt .

1689. Hispania Tyronum Magistri officio perfunctus, & recenter ibidem fundato S. Crucis Cœnobio cum potestate præpositus, ac denique Viennam nunc missus, ut inchoatæ fundationis primordia sub titulo Præsidis primus gubernaret. Prætereà P. Joannes a Cruce itidem natione Hispanus in oppido Manzanares Campi Martii natus, quibus junctus erat Fr. Ildephonſus a S. Josepho Torrejone veteris Castellæ oppidô oriundus & supradicti P. Josephi Præsidis frater Germanus. Adfuit quoque ex urbe Roma-  
Primus Praes  
donus Vien-  
nenſis.  
 na alter P. Josephus a JESU Maria, qui Venetiis in itinere tribus suprà memoratis se adjunxerat. Hic cùm per annum Viennæ substitisset, ad extremum in Poloniam migravit, ut Patribus in illo regno degentibus subsídio effet. P. Josephus verò a Matre Dei eodem mense Junio munus Viennenſis Præsidis, cuius gratiâ Viennam missus fuerat, inivit, & quibûsdam pro rerum exigentia constitutis demùm Kalendis Julii receptorum & expensarum libros auspicatus est, atque adeò consueti regiminis methodum introduxit. Nonnullos etiam adolescentes, qui sub labaro Crucis CHRISTO Domino militare desideraverunt, sacra Ordinis veste donavit, factúmque est brevi temporis spatiô, ut decem simul fratres in uno contubernio viverent: Quamvis autem domus nostra grandi tunc conflictaretur inopiâ, ille tamen Divinæ Providentiae confisus plures in *Album Ordinis* referre non dubitavit. Unum præ cæteris magis angebat, arcta videlicet domus, & locus incolarum numero minus commensus. Laxior proinde habitatio desiderabatur, ut singuli Religiosi suas singillatim cellulas haberent, quas incolerent. Prætereà cùm ipsum quoque Sacellum multò effet angustius, quam, ut indies magis affluentem hominum multitudinem caperet, decretum est, ut in alio loco majoris excitaretur, illudque spatum, quod hactenùs facellum occupaverat, religiosorum habitationi deputaretur. Amplior verò Ecclesia pro Divinis Officiis celebrandis conderetur: de cuius structura sequens caput fusiùs tractabit.

## C A P U T XII.

*Parva Ecclesia construitur; Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum in illam transfertur.  
Miranda quedam recensentur.*

Nova Ecclesia  
construitur. I. IN nostro fundo ex adverso areæ quinquaginta, & quod excedit, passibûs ad publicam viam alia visebatur fabrica, humilis quidem, sed tamen in quatuor hypocausta distincta, cuius longitudine novendecim passus æquabat: latitudo autem novem vix superabat. Quamobrem ut accedentium pietati locus commodior pararetur, qui in suum gremium plures admitteret, placuit Patribus hanc domunculam in aliquam Ecclesiæ formam convertere. Dejectis itaque interioribûs muris, exterioribûs autem parietibûs ad justam altitudinem novò quôdam additamentô sub-

sublevatis, tota moles arcuato fornice cooperta fuit. Alii parietes additi sunt, qui usum chori pro solvendo Divini officii pensò, & Sacrarii pro custodiendis Ecclesiæ ornamentis, vestiendisque Sacerdotibus Missæ Sacrificium celebraturis præberent. Exiguis sumptibus hæc Ecclesia cum accessoriis structuris consurrexit, multò tamen priore Sacello laxior, & ducentarum ferè personarum capax.

II. DEO autem & hominibus id opus placuisse vel inde patuit, quod non pauci pietatis instinctu largas eleemosynas liberiliter suppeditaverint, & diversa sacra supellestilia pro Templi ornatu nobis attulerint. In principe ara sub solio sericis cortinis velato posita fuit Imago Sanctissimæ TRINITATIS opere statuario cælata, quatuordecim palmis alta, coloribus & aureis lemniscis scitissimè obducta, ad artis amissim & oculorum invidiam fabricata: opus Rauchmilleri celeberrimi suo tempore Pictoris & Staturi. Peculiarem tamen in hac devotionis affectum excitabat facies secundæ Personæ Sanctissimæ TRINITATIS, quæ CHRISTUM in cruce pendentem exhibebat: Etsi verò statua hæc omnibus esset numeris absoluta, justò nihilominus major debitâ symetriâ carebat; ea námque, ut superius dixisse memini, in amplissimo herbario foro Viennæ supra columnam ex voto ad avertendam pestiferæ luis contagionem, in urbe vicinisque oppidis immaniter graffantem, erecta fuerat, cui postea e paro marmore alia (ut hodie ad artis miraculum conspicitur) Divinissimum illud Mystrium repræsentans successerat, lignea illà Eminentissimo Cardinali Kolloniczio donatâ, ut eam paupertinæ cuidam Ecclesiæ prohibitu impertiretur: qui amoris sui, quô Ordinem nostrum prosequebatur, impulsu, aut verius Superum instinctu insignein hanc statuam nostræ contulit Ecclesiæ.

III. Porrò ad utrumque Templi latus alia duo surgebant altariola, ex quibus illud, quod dexteram partem ornabat, elegantem & devotam CHRISTI cruci affixi imaginem justioris magnitudinis in linea tabula depictam ostentabat, in qua DEI filius innocentissimam animam suam æterno Patri tradens repræsentabatur, ut in suprema agonia constitutus protinus expiraturus videtur. Nobile hoc donum nobis obtigit ab Excellentissima Comite Sinzendorffia matre Celsissimi Principis Porciæ. Alterum autem quod in cornu (ut vocant) Epistolæ visebatur, diuersorum Sanctorum, Michaëlis nimirum, Stephani Proto-Martyris, Laurentii Levitæ & Martyris effigies opere statuario affabré laboratas exhibebat. In medio hujus altaris augusto Schemate prominebat sculpta imago Sanctissimæ DEI Matris MARIAE dulcissimum Filium in dextro brachio gestantis, altera manu regalem virgam ferentis; non multum absimilis illi, quæ Granatæ apud nostros Virginem DEI Genitricem, pretiosissimam illam orbis terrarum margaritam & Clementissimam Dominam nostram sub invocatione de Gratia repræsentat; quam in acceptis referimus liberalitati & munificentia cujusdam viduæ Anna Maria Giltrota dictæ. Ea statua quibusdam in eadem mutatis visitur nunc ad ingressum

Q

Sa-

1689.

Chorus & Sa-  
crarium ad-  
ditur.

Ornatæ Ec-  
clesiæ.

SSS. TRINI-  
TATIS sta-  
tua.

A Card. Kol-  
loniczio do-  
nata.

Alterum Al-  
tare CHRI-  
STI Crucifi-  
xi.

Tertium B.V.  
Altare.

1689. Sacrarii, in quo loco decenter ornata anno millesimo septingentesimo vigesimo octavo collocata fuit, hac inscriptione ex sacra pagina adjecta, quæ nihil mutato textu suis litteris numerabūs eundem annum exactissimè refert: QVasI CeDrVs eX-aLtata sVM In Libano. Ecclesiastici 24. cap. v. 17. Inferius autem ad devotionis excitandum affectum hoc dytichon legitur:

*Hic Puer, hæc Virgo duo sunt miracula Cæli:*

*Est hæc Virgo Parens; est Puer ille DEUS.*

Turris cum  
duabus tinti-  
nabulis.

IV. Reliquos novæ Ecclesiæ parietes decorabant diversorum mysteriorum picturæ & quorumdam Sanctorum imagines. Rebūs ita constitutis opere ligneo imposita fuit modica turris duabūs sonora campanis, quarum major trecentas viginti quatuor libras, minor autem non minus quam centum appendebat. Ad ingressum Ecclesiæ pro vetere Christianorum more crater stabat pilæ impositus, lustrali undæ asservandæ dedicatus. Hoc itaque templum, quamvis exiguis esset circumscriptum limitibūs, nobilis gratamque faciem præseferebat, ita ut solo suo conspectu ingredientibus tenerum pietatis sensum afflaret, & suo nitore præsentis Numinis majestatem testaretur.

Translatio  
SS. Eucharistiæ.

V. Solemnis proinde adornata fuit Sanctissimi Eucharistiae Sacramenti in decentiorem locum Translatio. Ad hanc magnificentiore pompa peragendam rursus invitati fuerunt Eminentissimus Cardinalis Kolloniczius, & Celsissimus Princeps Ernestus Episcopus Viennensis; quos nostri suppliciter rogârunt, vellent ipsi pro suo arbitrio diem & horam Translationis decernere; maiorem siquidem in modum nostra familia Reverendissimis hisce Principibus se devinctam profitebatur, quorum favore ac beneficiis res nostræ potissimum effluerunt. Et illi quidem benevolè precibus nostris annuerunt, sesequi, ut Ordinis nostri incrementis consulerent, Translationi adfuturos promiserunt, quam in sequentem Dominicam, id est, vigesimam primam Augusti (ut a forensibus negotiis non interpellarentur) consonis suffragiis distulerunt. Certa hujus rei fama inter Optimates ab ipsis hisce Ecclesiasticis Principibus diffusa, protinus etiam in vulgus emanavit, cuius magna pars huic solemnitati interesse cupiebat. Hæc inter lugubris allabitur nuntius, quô ferebatur INNOCENTIUM XI. Sanctissimum Pontificem, Maximum sui sæculi Decus, vitæ Sanctimoniam insignem, vigilansimum Universalis Ecclesiæ Pastorem, Patremque Piissimum pridie Idū Sextilis in Domino obdormivisse. Erat is de universa Republica Christiana, nec non de nostro Sacro Ordine optimè meritus; Sanctissimis in Ecclesia DEI Pontificibus accensendus, in vita & post mortem innumeris clarus miraculis; communis opinione dignus, cui in altaribus ob virtutum præstantiam sacri aliquando honores decernantur.

Obitus IN-  
NOCENTII  
XI. Summi  
Pontif.

Eius breve  
Encomium.

Translationis  
solemnitas.

VI. Illuxerat tandem tot votis expedita dies, quæ huic celebritati peragendæ præstituta fuerat. P. Præses primas suas curas eò converterat, ut novum Templum consveto ritu Ecclesiastico

lu-

1689.

Iustraret. Vix ille hanc functionem ad calcem perduxerat, dum Eminentissimus Cardinalis cum Celsissimo Principe Episcopo Vienensis, Harrachio Comite aliisque Proceribus adesse nuntiatur, qui pia quadam alacritate convenerant, ut Sanctissimam Eucharistiam in majus Templum comitarentur. Horâ competenti Celsissimus Princeps Episcopus sacrâ indutus vestibûs ad aram veteris Sacelli se contulit, Eucharisticam Hierothecam de altaris Sacrario produxit, eâque in altum sublatâ, hymnum Ecclesiasticum cantare occcepit: *Pange lingua*, quem decem nostri Religiosi (plures siquidem nondum aggregati fuerant) accensos cereos in manibus gestantes, & supplicationis cruci circumfusi cantu excepserunt, lètisque vocibûs hymnum illum cantârunt. Hôc, ut itâ loquar, functionis hujus proscenîo absoluî solemni Processioni initium datum fuit. Agmen ducebant nostri Religiosi recto ordine per aream arboribûs consitam inter opacas viridantium frondium umbras lento gradu procedentes. Hos secutus est Celsissimus Princeps Episcopus pontificali ornatu decorus Eucharisticam Theothecam præferens, cujus vestigia presserat Cardinalis cum Proceribus & Dynatis. Extremum locum ingens promiscuae plebis multitudo occupavit, & longo syrmate religiosam hanc pompam conclusit. Perventum est ad novellam Ecclesiam ardentibûs cereis magnô undique numerô radiantem, in qua splendida hæc supplicatio finem habuit, & Sacra Eucharistia pretioso throno imposita fuit. Quô factò Idem Princeps Episcopus ad Divina peragenda Mysteria se accinxit, primùsque in novo Templo Incruentum sacrificium immolavit, cui tres alii nostri Ordinis Sacerdotes successerunt, & in eadem ara æterno Patri nostræ Redemptionis hostiam obtulerunt.

VII. Hæc dum in Ecclesia peraguntur, juxta illam memorable & futuris sœculis mirandum pietatis atque demissionis exemplum in scenam productum fuit; Eminentissimus enim Cardinalis Kolloniczius extra fores Ecclesiæ a dexteris, & Excellentissima Comes Harrachia intra januam a sinistris argenteas patinas manibûs tenentes pro Ecclesia & futuri Cœnobii ædificatione ab exentibus stipem corrogabant, insolitâ hisce regionibus, nec visâ, neque auditâ hactenus Nobilissimarum Personarum pietate ac animi demissione, quam unicè tenerrimus erga Sanctissimam TRINITATEM & Sacrum Ordinem nostrum amoris affectus elicere valuit. Virtus sanè heroica cum sui vilipendio & Divinæ gloriæ conjuncta zelo: admirabile profectò Angelis, hominibûsque spectaculum, & actus cœlesti præmiò ab infallibili veritate promissò dignissimus, quô illos post funera nunc potiri minimè ambigimus; si enim calix aquæ frigidæ egenti porrectus non recedet irremuneratus, quomodò fieri posset, ut tam grande ac insigne virtutis prodigium maxima in cœlis mercede non afficeretur? Quis dubitet illos jam pridem immarcescibilem gloriæ coronam, æternumque cum DEO Regnum & gaudium obtinuisse?

VIII. Absoluta itaque solemni Translationis festivitate inenarrabili spiritûs consolatione repleti sunt universi. Gaudebant

Missa Sacra-  
cia.Card. Kolla-  
niczius &  
Com. Harra-  
chia ad Eccle-  
siæ fores pro  
Ecclesia &  
futuro ceno-  
bio elemo-  
synam re-  
gant.Mattib. cap.  
10. v. 42.Universi con-  
solatione re-  
plentur.

1689.

Principes & Optimates suas eleemosynas benè collocatas esse , si-  
bique tam felicem de DEO benè merendi occasionem obtigisse.  
Non minoribꝫ gaudiis incedebant cives , qui cum plebe lato  
murmure huic operi applaudebant , cujus beneficio augustius  
Templum , in quo tam commodè Divinorum Mysteriorum pos-  
sent fieri participes , nacti nunc fuerant. Nostros quoque par-  
tenuit exultatio , quòd Templum , Odeum & Sacrarium brevi  
temporis intercapedine largò Divini munera beneficio sint  
consecuti.

Quartum Al-  
tarē JESUS  
Nazareni.

**IX.** Habitatio nostra etsi parùm aut nihil ad exactam Regu-  
læ præscriptionem referret , & quibusdam insuperabilibus impe-  
dimentis etiamnum obnoxia foret , apprimè tamen suis incolis  
satisfecit , qui successu temporis meliora sperabant , omniāque  
incommoda brevi desitura haud ex vano augurabantur: Ut autem  
præsenti rerum statui nonnihil consulerent , ligneum ex asseribus  
ambulacrum construxerunt , quòd domus cum odeo jungebatur ,  
faciliorque aditus ad Templum pandebatur. Nec multò post Ec-  
clesiæ ex latere Evangelii propè januam rupto arcu Sacellum aliud  
levi sumptu additum fuit , Imagini JESUS Nazareni , ante se-  
ptennium in Africa e Maurorum injuriis lytrō vindicatæ , & in  
nostro Madritensi Asceterio publicæ venerationi expositæ dedica-  
tum , quæ eandem cum suo prototypo formam referebat. In  
hoc Sacello altera janua visebatur , quæ Sacrarium accessuris viam  
aperiebat , aliósque haud contémnendos usus in fortuitis eventi-  
bus , & peragendis Ecclesiasticis muneribus præstabat. Juxta  
ad Iustralis undæ fontem in mediocri columna alia statua sesqui-  
cubitalis ferè magnitudinis Matrem Dolorosam CHRISTUM Fi-  
lium de cruce solutum in gremio brachiis complectentem repræ-  
sentans lapide effigiata prominebat , quæ post varias vicissitudi-  
nes tandem in Cœnobium translata pie colitur , de qua alio in  
loco fusior scribendi occasio recurret.

Statua SS. PP.  
NN. JOAN-  
NIS & FE-  
LICIS.

**X.** Præterea in ara principe paulò infra memoratam Sanctissimæ TRINITATIS imaginem ex parte dextra in basi aliquantulum humiliore , justâ tamen symetriâ , collocatum fuit elegans simulacrum Sancti Fundatoris nostri JOANNIS de MATTA , unâ manu vexillum gestantis , in cuius sinuoso flexu hæc inscriptio legebatur : FIDEI CATHOLICÆ PROPUGNATOR , MARIA-  
NÆ PURITATIS DOCTOR , ORNAMENTUM TRINITATIÆ FAMILIÆ , ET CAPTIVORUM CHRISTIANORUM LIBERATOR , altera verò manu librum præferentis , cui Templum & Cœnobium insidebat , velut Ordinum Fundatoribus in tessera appendi solet. Propè basim Academicum Parisiensis Doctoratus Insigne jacebat , Laurea videlicet Theologica. Huic ex altera parte simili opere & æquali proportione oppositus stabat S. P. N. FELIX VALESIUS ad Sanctissimam TRINITATEM oculos & manum unam cum catenis attollens pro captivo juxta adgeniculante patrocinantis figuram exhibebat. Plantis ejus additum sceptrum & corona , Regiæ nimirūm stirpis ejus & Natalium signa , quæ pro cruce Domini commutaverat. Utraq[ue] statua

ori-

1689.

originem suam debet Stannetto celebri quondam in urbe Viennensi Statuario, quibus majus deinde ex coloribus decus accessit, ipsis quoque vestimentorum extremitatibus aureo lemnisco undique micantibus. Cum vero paulo sint altioris staturae, post evacuationem veteris Ecclesiae in majus Templum delatae sunt; nunc singulæ in duobus locis, quibus in dormitorium ascenditur, gradus bellissime ornant. Omnia haec ipsa sua novitate & peregrina rerum facie singularem nostræ Ecclesiae admirationem conciliabant. Cæterum ne hisce immoremur diutius, & forte ad fastidium hujusmodi minutis recensendis insistamus, paucis absolvam: modestè culta omnia, elegantia & nitida pietatem accedentibus instillabant. Fuere quoque non pauci, qui ad ingressum sacræ ædis insolitus sensere animi motum, fassique sunt postmodum, sibi videri, hanc esse domum DEI & portam cœli, ad quam cœlestium gratiarum favores impetrantur.

XI. Relatum est a fide dignis, in eadem prius domo, quæ nunc in nostram conversa fuit Ecclesiam, non multos ante annos, quām nostri illam in hunc usum aptare cogitabant, habitasse quamdam mulierem virtutis opinione commendatam, eāmque plurib[us] continuò noctib[us] somniāsse, versari se in Templo quodam ignoto, & preces fundere quām devotissimè. Evigilans illa somnium non sine tenera mentis exultatione enarrabat: anceps tamen, quod se nescire dictitaret, an hujusmodi somnii frequens iteratio quidpiam sibi futuri ominis portenderet? diurnarum siquidem cogitationum materia seges est fœcunda somniorum. Illi, qui præ ceteris sibi sapere videbantur, increpabant eam dicentes, somnum esse Morphei ludibrium, nihili faceret ineptias phantasie. Alii, ut præcox quorundam est interpretatio, divinabant, id ipsum ei vicinum ex hac vita transitum & mortis dormitionem præsignificare. Nemo tamen omnium ariolatus est ex somnio, has ædes aliquando in Ecclesiam transituras, quod illa reverè somniavit, ut secutus deinde eventus comprobavit. Somnia a DEO aliquando, vel a bonis Angelis ad ipsius DEI revelandam gloriam immitti constans est assertio Theologorum. Id ipsum ex sacris Literis perspicue colligitur, quæ non uno in loco talium somniorum mentionem faciunt. Nec desunt, qui Stygiis larvis idem attribuunt. Quis? qualisque genius mulieri hanc in somno moverit speciem, nunc post factum divinari facilius potest; certum enim esse videtur, ea, quæ superius retulimus, a malo spiritu minimè processisse; sed futuros rerum eventus mulieri per somnum istud divinitus, ut bene reor, a bono genio prænuntiatos fuisse.

XII. Alterum huic non minore fide dignum, & manifesta cum Sanctissimæ TRINITATIS in dispensandis favoribus Gloria conjunctum duxi ex comperto testimonio subiectendum. Matrona fuit, cuius unica proles, adeoque magis dilecta gravissimò sub idem tempus morbo laborabat: ejus salus, si humanæ vires spectentur, conclamata censebatur; accessio siquidem phrenesis & sensuum convulsio instantis mortis haud obscura indicia

Ecclesia haec  
prius in som-  
no ostensa.

manuscript  
lato. 1607  
ad modum  
certitudinis  
multo imp  
ad de mact  
mactuosa

Infans ad Ec-  
clesiam no-  
stram votò  
commenda-  
tus a pericu-  
loso morbo  
liberatur.

1689. præferebant. In rerum jam non ancipiti discrimine lugenti matri in mentem venit opem Superum advocare. Moribundum pro-indè infantem ad novam Ecclesiam nostram devovit, & proles e Libitinæ fauibus erupta mirabiliter convaluit, amissamque sanitatem e vestigio recuperavit, cunctis, qui ejus morbi symptomatum & periculi erant consciis, attonitis, ac ingenti admiratione defixis. Mater voti memor prolem cum argenteo ejusdem simulacro ad novam hanc Ecclesiam lætabunda deduxit, eamque, ut pro accepto beneficio se gratam exhiberet, Divinæ Majestati obtulit. Id deinceps pluribus evenisse, qui hic in calamitatibus refugium, aut in necessitatibus auxilium invenerunt, quamvis ista singillatim annotata non fuerint, votiva tamen signa & appensæ tabulæ luculenter testantur.

## C A P U T XIII.

*In admittendis ad Ordinem Tyronibus obstacula quædam removentur. Horrida cum insolita grandine tempestas.*

Ordinatae res  
domesticæ.

I. **D**um ità DEUS suæ clementiæ favoniis initia nostra provehit, Patres vicissim fuere solicii, ut DEI cultum promoverent, regularis vitæ rigorem inducerent, Ordinis tyrones rectè instituerent, ijsdem laudabiles Religionis virtutes & consuetudines implantarent, exercendo Redemptionis Instituto adaptarent, ad ardua quæque tum verbô, tum exemplô accenderent, probarent, exercebant, docerent, animarent, & demùm pertentarent omnia, quæ ad Sanctissimæ TRINITATIS Honorem & Gloriam, Ordinis stabilimentum & decus, ad propriam suorum imprimis, & proximorum spiritualem salutem conduce-re videbantur. Hæc inter molimina non unum, ut in rerum initiis frequenter accidit, Patribus sese objecit obstaculum; ex quibus haud postremum locum obtinuit, quod secta Lutheri magnam Septentrionis partem pervaserit, eamque pestilentissimæ doctrinæ virulentiam infecerit. Etsi verò a nostrorum avorum memoria speciali imprimis DEI favore, & Austriacorum deinde Principum solertia, curâ & studiô erga fidem orthodoxam non paucæ Regiones postliminiò hoc virus evomuerint, compiebantur tamen eorum posteri, quos nunc ad Sacri nostri Ordinis professionem admittere oportebat, ut plurimùm a Lutheri aseclis rectâ generationis lineâ descendere; rarus námque fuit, & corvo simillimus albo, qui avum, aut certè atavum nactus non fuisset hujus contagionis labe afflatus. His verò natalibus rigidè adversabatur canon ille, qui vetat, ne in Sacrum Ordinem nostrum suscipiantur, qui a majoribus hæretica pravitate corruptis descenderunt. Sed cùm hac ratione plerique ab ingressu Sacrae Religionis nostræ arcerentur, aut eorum receptio fastidiosæ ac

Impedimentum, ne ad  
Ordinem suscipiantur,  
qui descendunt ab he-  
terodoxis.

Limitanda  
Constitutio  
videtur Patri-  
bus.

mo-

molestissimæ disquisitioni subjiceretur, visum fuit Patribus hac de re semel iterumque in Ordinis Comitiis deliberantibus hujus Sanctionis clausulam in Provinciis Septentrionalibus esse prorsus abrogandam. Sapientissimum sanè decretum, quō impediebatur, ne circa professionis validitatem posset dubium suboriri, quod turbas sèpè ciere solet sacris cœtibus nimium pernicioſas. Pro majori autem præsentis materiæ elucidatione libet hanc ipsam Generalis Definitorii declarationem subiectere, inferius, annô nimirum hujus Sæculi nonagesimô secundô, ad majus robur huic decreto adstruendum, & omnia dubia stirpitùs evelleta daturi Sedis Apostolicæ confirmationem. Cæterum declaratio dicti nostri Definitorii his verbis intimata fuit:

1689.

Vide lib. 2.  
cap. 3.

## BENEDICTA SIT SANCTISSIMA TRINITAS.

F. Joannes a S. Antonio Definitor Generalis & Secretarius Definitorii certifico, in Definitorio celebrato in conventu nostro Madritensi undecimâ Julii anni millesimi sexcentesimi octogesimi noni esse decretum tenoris sequentis: Item confirmat Definitorium Declarationem, quæ facta est ab eodem Definitorio quinta mensis Januarii anni transacti millesimi sexcentesimi octogesimi septimi Sessione quarta, & illam magis expressit sequenti formâ: In quantum Constitutionis nostra capite 40. Constitutionum §. 4. numerò 2. nobis facultatem præbet declarandi dubia, quæ in ipsis Constitutionibus occurserint, in tantum intendimus, quod Constitutionis capitulis 42. §. 2. numerò 1. quæ mandat, ne admittantur illi ad professionem nostri Ordinis, qui per lineam rectam descendunt, a Judæis, Mauris, Mauriscis, Hæreticis, & Mahometanis, non debeat intelligi de alia Natione, quam de Hispanica, cuius respectu dicta Constitutionis approbata fuit a Sua Sanctitate CLEMENTE X. anno elapsò 1676. dum nostra Religio nulla habuit cœnobia extra Hispaniam. Cum autem instituere cœperit anno elapsò 1686. in Regno Poloniae & Imperio, ubi multi sunt boni Catholici, quorum ascendentibus habebant aliquas notas præmentionatas dictæ nostræ Constitutionis, & non sit materia, quæ obstat in aliis Ordinibus, ne hujusmodi subjecta admittantur ad professionem; adeoque nos conformantes cum aliis Religionibus, secunda vice hanc facimus declarationem, cum qua bonas, firmas & stabiles professiones acceptamus eorum, qui Hispani non sunt, & qui deinceps profitebuntur in sacra nostra Religione, et si aliquo tangantur defectu, quem dicta continent Constitutionis, quasi in ea non comprehenderentur. Et ad majorem

Declaratio  
N. Definitorii  
Generalis.Definitorium  
Generale de-  
clarare potest  
dubia.Sunt boni  
Catholici,  
quamvis de-  
scendant ab  
Hæreticis.Acceptantur  
corum profes-  
siones validæ.

1689.

*firmitudinem decrevit Definitorum, ut a Sua Sanctitate, vel a Sacra Congregatione petatur ejusdem Confirmatio, velut constat ex libro nostri Definitorii, ad quod me remitto; & ad hujus veritatem idipsum confirmo in hoc nostro Conventu Villa Madritensis octava Augusti Annō 1689.*

Fr. JOANNES a S. ANTONIO Definitor  
Generalis & Secretarius.

Zodem die,  
quō Decretū  
est editum,  
horrida Vien-  
næ tempestas,

Arte dæme-  
nis, ut ple-  
rique judicā-  
runt.

Palmerius ad  
annum 1470.

Tempestatis  
ejusdem de-  
scriptio.

II. Sic itaque exigente præsentis temporis necessitate, donec a Sede Apostolica hoc Generalis Definitorii Decretum Diplomatica confirmaretur, plenūmque robur adipisceretur, maturè ac sapienter præcautum & consultum est dubiis, quæ inde emergere potuissent: præoccupatae sunt quoque sinistræ machinationes subinde orituræ, fremente licet averno, qui opima sibi spolia detrahī moerebat, & crudius suo regno bellum indici non ex vano ariolabatur. Hoc sanè Decretum stygio cerastræ bilem adeò movit, tantamque in eo indignationem excitavit, ut sui propemodum impos, nec clandestinis damnis contentus, quibūs alias clades suas ulcisci consuevit, ad externum quoque furorem proruperit, velutì ex sequenti eventu clarissimè patebit; eādem námque die undecimā Julii, quā, ut superiùs annotatum manet, hæc Declaratio a nostro Definitorio Madriti in Hispania expedita fuit, Viennæ in Austria tam horribilis tempestas desæviit, quā immānior, aut truculentior a longa retrò hominum memoria nunquam conspecta fuit, neque deinceps, quantum ex miti regionis hujus climate divinare licet, facile conspicietur; quod citra controvèrsiam innuit, eam in sævissima rabidi dæmonis officina procusam fuisse. Memorat quidem Matthias Palmerius inter memorabiles eventus suorum temporum Annō Domini millesimō quadringentesimō septuagesimō Romæ in principio Junii grandinem insolite magnitudinis cecidisse, cujus grana duodecim uncias appenderant, hic autem multò majora comperta fuerunt. Sed ut tanta res melius cognoscatur, reliquas hujus tempestatis circumstantias succinctè referam. Eæ ita se habent. Cùm ad undecimam Julii meridies præter solitum æstuaret, sudūmque cœlum micantem faciem lætè ostentaret, inclinante jam sole vehementissimus Afri-  
cus e stygiis fortè cavernis egressus aërem foedè permiscerit, spissaque intumescente nube nigra, & subinde candicante, gravidaque interdum quasi fuligine atrata, ceu obscurō quôdam sifariō Solem e conspectu hominum eripuit. Subitò, & ad horrorem omnium tam violentus turbo subortus est, ut obvia pleraque subverteret & disjiceret. Asperabat ejus furorem aura frigidior, quam exceptit grando, imprimis rarer hinc inde ingentibus bo-  
lis anserini ovi magnitudine terribilis, quæ obvia quæquæ infesta-  
bat, & super ædium tecta delapsa non minorem fragorem exci-  
tabat, quā si crepitante faxorum imbre impetita fuissent. Ne-  
que tamen malum hic substitit, sed quasi ad majorem stragem per-

perpetrandam brevi respiratione vires armâasset, itâ hæc horrifica grandinis procella post modici temporis intervallum toto impe-  
tu irruit, multoque audiore strepitu terram & cuncta cætera in-  
festans omnes ingenti timore perculit. Et illa quidem non tan-  
tum vitra fenestrarum, quæis nihil est fragilis, confregit, sed  
(quod mirere) ligneos quoque earum margines, in quos spiritus  
ille procellarum irruerat, violenter discerpsit, valvas fudit, te-  
gulas & tectorum imbrices contrivit, ac disjecit: in hortis olus  
omne vastatum; in viridariis fructus cum frondibus abrasi: in  
agris segetes jam ad maturitatem flavæ, & alicubi etiam demessæ,  
quasi securibus dissectæ apparuerunt: quinimò pecora unâ cum  
pastore in campo enecta fuisse fama tulit: aurigam quoque me-  
morant in via cum duobus equis grandinis concussione interem-  
ptum. Pilam hujus grandinis unam a curiosis bilance examina-  
tam ultra libram aliquot uncias appendisse compertum fuit. Ci-  
tò tamen, ut in motu vehementiore usuvenit, atrox hæc tempe-  
stas deferbuit. Nostri sub idem tempus in ædificanda nova Eccle-  
sia occupabantur, nemo tamen operariorum, quod DEI prote-  
gentis favori dandum est, læsus, aut quidpiam adversi passus fuit,  
opportunum adhuc tempus naëti se in tutum recipiendi. Neque  
aliud damnum nobis intulit, nisi quod in extanti adhuc primiti-  
vo Sacello specularia fenestrarum omnia excusserit, & unum ea-  
rum ligneum marginem per medium confregerit. Patres, qui  
recenter advenerant, ad noxiam adeò tempestatem cohorruere,  
rati, Austriam hujusmodi terroribüs frequentius infestari, unde  
& propediem ad Hispanias remeare cogitarunt; sed ab amicis  
edocti, minimè regionis id genium aut vitium esse, sed præter  
naturæ cursum, aut fortè maleficiò, aut fraude dæmonis, quod  
procliviùs credebatur, ab hominum memoria inauditam hujus-  
modi procellam accidisse, consilium mutarunt. Pronum fuit in-  
de conjicere, ab irati Acherontis machinationibus insolitum hunc  
concitatum fuisse turbinem, qui idcirco furorem suum tanta sæ-  
vitie despumavit, ut de sancto eadem die Decreto, dolos ipsius  
& astutias nonnihil præoccupante, se vindicaret: id tamen de-  
cretoriè affirmare, cùm meum non sit institutum, penè pru-  
dentis lectoris judicium in medio relinquo.

III. Huc quoque & ad hujus anni Generale Definitorium  
pertinet, quod licet Viennæ unicam duntaxat domum obtinere-  
mus, eamque, quod rerum initii ferè cognatum est, valde in-  
opem, & a rebus necessariis parcissimè instruetam, electus tamen  
fuerit in captivorum Redemptorem P. Maurus a Conceptione.  
Tantâ curâ Ordo noster semper incubuit ad primarium suum In-  
stitutum excolendum, ut vix nata prima domo simul etiam ve-  
lut in propriam possessionem Redemptio Captivorum introduce-  
retur. Dies decima octava Decembbris fuit, quâ mandatorum  
litteræ ea de re Viennam advenere. P. Maurus verò delatum sibi  
Redemptoris officium ingenti prorsus fervore suscepit, cœpit  
que satagere, ut Urbi Vieñensi primum Redemptionis spectaculum  
veluti quoddam sperandorum fructuum præludium quantocyùs

Primus capti-  
vorum Re-  
demptor eli-  
gitur.

Cura exeq-  
cenda Re-  
demptionis.

1689. exhiberet : atque hoc ille propositum suum tam indefessa solicitudine ursit, ut anno integrō nondum elapsō profectionem in Tartariam ad redimendos captivos jam inchoaverit, quemadmodum in libri sequentis principio pluribūs visuri sumus.

## C A P U T XIV.

*Domus nostra a civium oneribus eximitur, & situs  
cujusdam liberi fundi Donatione ab Augustissimo  
LEOPOLDO I. Rom. Imp. ampliatur.*

Fundus no-  
ster a civicis  
oneribus exi-  
mitur.

I. **H**ec inter, dum nostri Divinæ Gloriæ, animarūmque salutis pro viribus intenti sumptus omnes, quos corrogare valebant, in acquisitæ domus instaurationem, & necessaria utensilia comparanda profundunt, Inclytus Magistratus Urbis Viennensis de antiquis Juribus suis solicitus cœpit nobis ultrò negotium facere, fructusque requirere, ad quos empta recenter dominus nostra pro sustinendis communibus Reipublicæ oneribus obstricta fuerat, utpote, quæ singulis annis unum supra triginta florenos Rhenenses vectigalis nomine pendere tenebatur. Exigua quidem hæc erat pecunia, non tamen nostris, quos extrema pauperies huic oneri ferendo impares reddiderat: Supplices itaque Magistratui facti enixis precibūs contenderunt, ut impositum censum minueret, ac dimidiam ejus partem condonaret, polliciti, alteram medietatem quot annis ab se religiosè persolutum iri, quamvis satis prospicerent, hoc etiam onus sibi vix tolerabile fore, idque ex prægnantibus hisce rationibus: quod nulli stabiles redditus nobis suppetant, & præterea ex Sanctæ regulæ nostræ præscripto obligemur tertiam omnium nostrarum eleemosynarum partem in captivorum Redemptionem seponere: addebat pariter novam hanc Ordinis Coloniam in magnam Urbis & Reipublicæ Christianæ tam spiritualem quam temporalem utilitatem cessuram, ut ei proinde hæc gratia haud gravatè concedi possit. Renuit quidem a principio Magistratus Viennensis, causatus Turcici belli magnitudinem, cui ritè continuando immensi sumptus requererentur, adeoque omnia pecuniaria subsidia pro sustentatione Cæsarei militis minutim essent coacervanda; in id tamen, ut precibus nostris aliquid tribueret, benignè consensit, ut semel quingentos florenos Rhenenses in publicum ærarium deponeremus, & sic deinceps a quavis exactione immunes maneremus. Insignem agnovimus in hac resolutione favorem & pietatem Incliti Magistratus. Sed unde nostri tantas opes depromerent, ut hanc pecuniam persolvere valerent? Rursus igitur ad preces conversi Magistratum orarunt, velit inopiam nostram benignis oculis intueri, & pro sua pietate aliquam hujus Summæ partem nobis remittere, cum facultatum nostrarum tenuitas multò sit imbecillior, quam ut tantam nummorum vim proferre queat. Illi

mise-

misericordiā moti ducentos florenos nobis condonārunt, itā tamen, ut trecentos florenos integrē penderemus, quibūs in futurum perpetuō a solitis oneribus Domui annexis exempti dignosceremur, ac præterea ob Dominium directum, quod inclytus Magistratus ex antiquo jure in fundum habet, quotannī in Autumno circa festum S. Michaëlis Archangeli triginta nummos, quos cruciferos vocant, & post decem annos totidem florenos sölveremus, idque in perpetuum ob jus Dominii directi, quod ad Magistratum pertinet, & Empyteusis vocatur. Favori & obligationi simul non sinē grati animi significatione consensimus, & conquistis facultatibūs æs ritē dissolvimus, receptā syngraphā, quæ perpetuae exemptioni nostræ testimonium perhibet. Hæc scriptura expedita, firmatāque fuit vigesimā septimā Septembribus ejusdem anni octogesimi noni.

1689.

II. Cūm itaque impetrata fundi exemptione ab oneribus civicis Magistratus auctoritate emersissemus, Ecclesiastica immunitas nativo suo splendore deinceps in nostro Conventu gratiūs reviruit: cætera quoque nobis multò expeditiora evadebant. Animis proinde ad ideam futuri Cœnobii converſis loci situm accuratè metiebamur, qui licet in magnam longitudinem procurret, latitudine tamen laborabat, exteris ex utroque latere fundis coarctatus, ideoque ad perfectam formam & architectonicæ artis regulas haud facilè reduci valebat. Meditabantur nostri certā fiduciā opis Divinæ grandius Templum & non parvum Cœnobium extruere, quod aliorum his in regionibus princeps & quodammodo caput foret. Domui nostræ contiguus ex parte adhærebat fundus non contemnendi spatii. Pertinebat is ad Sacram Cæsaream Majestatem, fueratque olim conditorum asservandis quadrigis & fœno Augustæ ELEONORÆ FERDINANDI III. Imperatoris bonæ memoriae Viduæ deputatum, sed in nuperna Turcarum obsidione deustum, vastatūmque, parietinis & ruderibūs duntaxat extantibūs, ante ac post excessum Augustæ suo squallore fitūque neglectum semper horruerat. Nullus erat usus illius, nec quemquam ejus restaurandi cura tangebat, quia minimè necessarium videbatur. Nostri oculis in hunc locum conjectis perspicue agnoyerunt, ejus accessione amplissimum nobis spatium obveniatur, quō Templum & Cœnobium eā formā ædificare possemus, quam mente conceperamus, præsertim quod locus ad Orientem & Septentrionem dupli latere suo publicam plateam observet, atque adeò desideratissimam opportunitatem Templi, ac Cœnobii majoris condendi præberet. Ut autem fas esset fundum istum in nostros usus convertere, imploranda nobis rursus fuit sèpiùs jam experta Cæsarialis beneficentia. Quinimò ad expetendum fundum itā vicinum, itā opportunum, itā nobis necessarium non tantū hortabantur nos, sed etiam (priusquam aliis nos præveniret, suisque precibūs eum impetraret) impellebant amici: nihil non sperandum a munificentissima Cæsarialis Liberalitate, cui Ordinis nostri stabilimentum, & augmentum in desiderio erat. Hac igitur allecki fiduciā supplici libello Sue-

Situs loci ad  
formandam  
Ecclesiam &  
Cœnobium  
angustus con-  
sideratur.

Pertinet vici-  
nus fundus  
ab Imperato-  
re.

1689. Augustissimæ Majestati nostram necessitatem humillimè exposuimus , fundumque nostro Cœnobio vicinum cum vetustis parietinis & lapsantibus ruderibus nobis donari poposcimus , quatenus locus infimis anteà destinatus ministeriis in Divinæ TRINITATIS Templum commutaretur : id DEO fore gratissimum , maximi apud Superos meriti , nostræ verò inopie sublevandæ summè opportunum .

III. Solitâ clementiâ petitionem nostram exceptit LEOPOLDUS Cæsar , propenso alioquin favore nobis addictus , singularemque benevolentiam testatus spem bonam habere jussit . Remissus est pro more libellus ad Cæsareæ Cameræ Consilium , quò pertinebat , cùm in eo de facultatibus Cæsaris ageretur , ut matura deliberatione præmissa decerneretur , admittendâne , an verò rejicienda hæc petitio foret . Marchio Burgomainius CAROLI II. Catholici Regis ad Cæsarem Orator , Comitem Rosenbergum memorati Consilii ex munere Præsidem , apud quem Marchio gratiâ , amicitiâ & auctoritate plurimùm valebat , nobis propitium reddidit , ideoque celerius , quam sperari poterat , petitio nostra in consilio relata fuit , quam , ut meliorem fortiretur effectum , diëtus Comes Rosenbergius ad supremum Cæsarei Equilis Præfectum remisit , tanquam rem ad ejus officium & curam pertinentem , cui proinde injunxit , ut inspecta loci qualitate & conditione Consilium edoceret , an ejus donatio rebus Cæsaris incommodaret . Supremus eo tempore Aulæ Cæsareæ Hippocomus cluebat Excellentissimus comes Harrachius , qui ut plenè ac integrè muneri suo faceret satis , omnî deposito partium studiô , æquitati solummodo intentus , loci situm accuratè examinat , solicite discutit , & personaliter fundum perlustrat , recognoscit , exquiritque universa ad illum pertinentia , ut omnia commoda exploraret , quæ rebus Cæsareis ex hujus loci possessione accedere aut decidere possent , ut fidelem ac incorruptum decet Aulæ Ministrum . Itaque libratis omnibûs momentis competit , ex situ illo nullam aut certè modicam utilitatem in Cæsarem redundare ; quadrigas enim & fœnum multò melius nunc custodiri , quam olim hic custodita fuerant , cùm in urbe ob locorum vicinitatem omnia ad obsequia Cæsaris sint promptiora , & ob incolarum frequentiam ab insidiis furunculorum tutiora : Quamvis autem impræsentiarum etiam oculos ad futura tempora convertere oporteat , in quibus pro Rege , pro Archi-Ducibus , pro Augustis viduis major erit adornanda curia , superesse affatim pro omnibus loca huic commodiora : addebat præterea majores , quam loci mereatur iniquitas , expendendos esse sumptus , si aliquando , quod vix futurum rebatur , vastatum illud ædificium quispiam restaurare cogitaret . Ideoque nec longius abesse , quin fundus ille Sacré Majestati reputetur prorsùs inutilis , & posse contingere , ut alteri cuicunque fortè minus indigo , aut promerito conferatur , qui pro liberi fundi privilegio tabernam vinariam ibidem in grande Sacri Loci præjudicium ædificet , unde lites & controversiæ religiosis hominibus semper exosæ , facilè negotiò sub-

Patrocinia .

Cæsarei E-  
quilibus Praefe-  
ctus comes  
Harrachius  
fundum per-  
lustrat & ex-  
aminat .

Rationes in  
favorem Or-  
dinis .

subnasci possent. Rationi itaque ac dignitati Cæsar is consentaneum esse, ut Sua Majestas hunc fundum pro construendo Sanctissimæ TRINITATIS Templo & Monasterio cedat, cum nulla in contrarium causa tam urgens excogitari valeat, ut hoc eis negetur. Demùm conclusit sibi videri ad Divini Numinis Gloriam hanc Cæsaream gratiam Patribus clementissimè concedendam esse. Quæ rationes prolixius in tabellam relatæ ad Cameræ Consilium redière.

IV. Inter reliquos peculiares favores, quos Excellentissimus Comes Harrachius quotidiana ferè beneficentia in nos contulerat, sequens primum facile locum sibi vendicat; cum enim eodem tempore Aula Cæsarea indicto Electorum & Principum Conventu ad iter in Imperium se accingeret, ut Serenissimus JOSEPHUS I. Rex Hungarie ad Augustam Vindelicorum Rex æquè Romano-rum renuntiaretur, & Imperiali diademeate redimitus Augusti Patris in tractandis Reipublicæ gubernaculis Collega constitueretur, Comes Harrachius sub idem tempus plurimis, iisque valde urgentibus negotiis distinebatur, qui licet curarum mole fermè opprimeretur, nulli tamen in tanta negotiorum multitudine pepercit labore, ut nostri quamprimum desideriorum suorum compotes evaderent. Statuit proinde temporis compendium inire, suaque auctoritate efficere, ut nostra causa ante instantem professionem ritè decideretur, qui sanè favor fuit inter singularissimos, & apertissimum paterni affectus indicium. Cæsare igitur in societate Augustæ Conjugis, & Regii Filii ad Imperialia Comitia tendente Supremum Cameræ Consilium de praedicto negotio nostro consultationem suscepit, omnique possibili industria & solertia, ut par est facere in rebus ad Cæsaris patrimonium pertinentibus, statum & qualitatem illius loci discussit. Ad extremum omnibus in utramque partem momentis exactè perpensis, conclusit tandem, posse Cæsarem citra præjudicium aliquod suarum facultatum huic petitioni subscribere, idque ob rationes superiùs a Comite Harrachio Supremo Cæsarei stabuli Præfecto expositas, factaque hujus rei Augustæ Vindelicorum coram Sua Majestate relatione Clementissimus Imperator, ut vetera beneficia novis cumularet, ex innata pietate annuit, & fundum a facultatibus suis sequestratum nobis munificentissimè elargitus est; atque in hunc finem Decretum edidit, & ad Cameræ Consilium direxit sequenti formâ:

Comitis Harrachii in accelerando negotio favor.

Resolutio  
Cæsaris.

## LEOPOLDUS.

**P**ostquam Reverendis Patribus Excalceatis Ordinis Sanctissimæ Trinitatis Redemptionis captivorum combustum horreum in platea (ita dicta) picarum Viennæ extra Urbis mœnia, quod ante obsidionem pro conservandis nostris curribus serviebat, pro ædificatio-ne Ecclesiae gratis cessimus: unde mandamus vobis clementissime;

1689. & volumus, ut vos impetrantibus id non solum per assencionis Decretum notificetis, sed etiam mandetis alicui, qui ex Parte Nostra situm & horreum predictis Religiosis tradat, & consignet. In hoc sit Voluntas Nostra Eccl. Augustæ Vindelicorum die 19. Octobris 1689.

Pro beneficio  
gratiarum a-  
ctio.

V. Sanctissimæ ac Individuæ Trinitati ubique personent cum perpetuis laudibus Honor & Gloria; Pientissimo Cæsari LEOPOLDO I. (cujus anima cœlestibūs deliciis perfruatur) Benedictio & Gratiarum actio, totique Serenissimæ Austriacæ Stirpi pro tam excellenti munere nobis collato perpetuae accrescant prosperitates, sexcentis felicitatibus cumulatae. Porro cum ex Donatione fundorum gloriosum Fundatoris nomen resultet, nemo facile in controversiam vocaverit, spectatis tam multis & magnis beneficiis, quæ Augustissimus hic Monarcha Ordini nostro exhibuit, utpote, cuius incrementa & propagationem in suis Regnis & Provinciis plusquam Paternâ benevolentia semper promovit, quod hucusque eadem Augustissima Domus continuata favorum serie facere non desinit, nemo, inquam, in controversiam revocabit, gloriosissimos Austriacæ Stirpis Monarchs non solum Cœnobii Viennensis, verum etiam totius Provinciae Josephinæ Fundatores censeri debere, quod nos etiam ultrò profitemur, eosque hoc Titulo colimus ac veneramur. Quamvis autem Titulus Fundatoris post se trahat Jus Patronatus, istud vero consuetis Solemnitatibus minimè inductum fuerit, nec reciprocis obligationibus sese Provincia nostra Augustissimis Imperatoribus obstrinxerit; sponte suâ hæc tamen omnia coaluere sic, ut continuata beneficia (quæ nunc brevitatis causâ venerabundò silentio pterereo) & exacta vicissim animorum nostrorum gratitudo non inferiora sint, sed facile cunctis Solemnitatum titulis æquiparari valeant, ut in sequentibus de iis frequens nobis recurret oratio.

Augustissima  
Dominus Au-  
striæ nostra  
Provincie  
Fundatrix,

P. Joannes  
ad fundandum  
Venetas de-  
finator.

VI. Priusquam ad hujus anni finem properemus, breviter memorandum nobis venit, quod superius jam attigimus, nimis rùm P. Joannem a S. Augustino apud Majores Ordinis potestatem efflagitasse Venetorum ditioni Sacrum Ordinem nostrum inducendi, quæ non minori ejus necessitate quam Germania laborare videbatur ob cruentissimum bellum, quô hæc Respublica cum gente Ottomanna terrâ, marique committebatur, unde non pauci illius Dominii municipes in miserrimam Turcarum servitutem inciderunt, qui vix alia ratione certius in libertatem asseri possent, quam nostrorum Religiosorum studiô & operâ. Ad dederat autem, se, cum ante biennium circiter Venetiis aliquantis per substitisset, haud obscuris indicis observasse propensos civium & Nobilium animos ad Ordinem nostrum complectendum. Qua de causa noster Pater Petrus a S. Michaële Major & Generalis Minister, cui nihil magis erat in votis, quam Ordinis propagatio, die vigesima secunda Octobris Madriti convocatō Definito-

nitorio Generali consuetis solemnitatibus P. Joannem a S. Augustino declaravit Procuratorem Generalem, cum plena facultate Ordinem nostrum in Provincias Serenissimae Venetorum Republicæ subjectas introducendi. Hanc plenipotentiam, quam *Procuratorm* vocant, Noster P. Generalis Minister eidem apto tempore Romam præmiserat, ut quandocunque illum Venetiis adesse contingeret, hæc ei confessim ab aliquo Religioso nostro deferretur, Religiosus verò ille socium ejus deinceps Venetiis ageret. P. Joannes, ut primùm de nostri P. Generalis Ministri voluntate certior effectus fuit, tota animi contentione in id incubuit, ut sibi Viennæ apud Magnates præsidia pararet, quibüs postea Venetiis juvaretur. Conquisivit proindè a Viris Summæ Auctoritatis commendatitias epistolas, quas etiam liberaliter sanè obtinuit. Nos tamen reliquias prætermisssis hanc unicam referemus, quam Augustissimus LEOPOLDUS Imperator ad Franciscum Udalricum Comitem a Turri & Valsallina, suumque tunc temporis Oratorem apud Rempublicam Venetiarum exaravit, & ita sonat:

1689.

Conquistis  
Viennæ com-  
mendatitias,  
Item libet.

## LEOPOLDUS Divinâ favente Clementiâ Ele- ctus Romanorum Imperator semper Augustus.

Imperatricis  
Epistola.

**G**enerose, Fidelis, Dilecte: Tibi jam antè constare non dubitamus, Patres Ordinis Sanctissimæ Trinitatis Discalceatos, quorum Institutum est Christianos ex barbarorum servitute redimere, in Provincias Nostras Hæreditarias admissos esse, concessa ipsis in suburbio Viennensi Monasterii exstreuendi facultate; Desiderant id ipsum sibi ab Illustrissimo Dominio Veneto concedi, Nostramque hunc in finem interpositionem adjectò libellò supplici demissè flagitant; quam negare vel inde nolumus, quod memoratum Institutum non minus pium, quam laudabile, & exemplaris vitae probitas eos mirum in modum commendet: Desiderium proinde dictorum Patrum Nomine Nostro nocta opportuna occasione, spèque effectus boni affulgente promovendum suscipies assentientia tuâ ipsis præstò futurus.

Datum Augustæ Vindelicorum die 28. Decembris 1689. Verum ut sunt humana consilia variis vicissitudinibus obnoxia, suprà recensita Nostri P. Ministri Generalis facultas cum mandatorum instructionibus Romam quidem pervenit, sed ibidem, nescio, quô fatò detenta fuit, ubi etiamnum in archivo conventus S. Caroli ad quatuor fontes de Urbe asservatur. Et Epistola Cæsaris in originalibus Viennæ apud nostros in arcanis scriniis latet. Cur autem ea expeditio subito evanuerit, satis exploratum non habeo: id pro comperto affirmare possum; venerandum illum Patrem nobiscum hic deinceps ad vitæ finem permansisse. Ceterum annus iste lætissima coronide ad finem cucurrit, cujus tam auspicata

Omittitur ex-  
peditio.

1690.

suere auxiliante DEO nostrae propagationis initia, ut plurium annorum decursu vix, vel ne vix quidem similia sperari potuissent. Sed eō jam tandem aliquando relictō ingrediamur nunc

VII. Annum a partu Virgineo millesimum sexcentesimum & nonagesimum. Mensis agebatur Januarius, cujus sextā & vi- gesimā Serenissimus Rex Hungarorum JOSEPHUS I. unanimi Principum Electorum suffragiō, Optimatum expectatione ac votō, totiusque Germaniae jubilō Rex Romanorum magnificentissimā pompa renuntiatus, & pro recepto more Augustali diadema te redimitus fuit. Quæ dum apud Vindelicos transiguntur, Viennam pervenit Cæsareæ Gratiæ ac Donationis, anno superiore nobis factæ, expeditum Decretum, quod tanquam legitimum, integrum, & nulla sua parte vel conditione deficiens recognovit supremum Cameræ Consilium. Hoc itaque tertiā meniis Februa rii Ministrum de gremio suo cum duobus Consiliariis, testibūs hu jus facti futuri, ad nos alegavit, qui Cæsareum illum fundum nuper petitum & exoratum præsente quoque suburbano Judice ac Juratis inter consuetas solemnitates perpetuo jure nobis possiden dum consignaret, quæ etiam omnia eadem adhuc die ante meridiem ritè confecta fuerunt, traditâ nobis super valida, firmâque possessione recognitionis scripturâ, quam de Germano idiomate in Latinum fideliter translatam huic loco attexere libuit his verbis:

*Postquam Sua Sacra Cæsarea Majestas Reverendis Patribus Excalceatis Ordinis Sanctissima Trinitatis Redemptionis captivorum exu stum & vastatum horreum, in quo olim currus asservabantur, in platea picarum pro edificanda Ecclesia gratis cessit, & illis consignari clementissime consensit, hinc relicta Inclyta Cæsareæ Aule Came ra mandavit benigne per Decretum, ut eadem per suum Offici um prefatis Religiosis dictum horreum tradere, & consignare cu ret. Quod etiam ita factum est: quandoquidem hodie manè memorata Cameræ senior computista D. Joannes Gasparus Weidtmann Patribus illis supradictum horreum in præsentia Judicis & Juratorum in prefata platea picarum actualiter cessit & consignavit. In hunc finem Religiosis illis hac Recognitio nostræ Cameræ consiliariorum propria manu & illius consuetò Sigillo data fuit Viena 3. Februa rii 1690.*

Coronatio  
JOSEPHI Re  
gis Romanorum.

Fundi tradi  
tio.

Recognitionis  
Scriptura.

## CAPUT XV.

### Pro nostro Cœnobio fundamenta ponuntur.

I. **A**mpliatō fundō dilatata sunt quoque spatia charitatis, & grandis in DEUM concepta fiducia, quæ nobis spem fecit de quibusdam adhuc prementibus necessitatibus proximè eluctandi. Tempus, cura, spes & patientia rebus quibusvis afflictis oppor-

opportunum adferre solet sive remedium , sive solatium. Ea hoc tempore erat Ecclesia nostra, ut ob commoditatem & affluentis populi devotionem in plures annos usum præbere posset, donec laxior aliqua in fundo recenter acquisito vastiore mole exurget. Bellè se ista habebant. Sed Religiosi nostri jam numerò tredecim ob arctæ habitationis angustias non paucis conflictabantur incommodis. Etsi verò meliore ac possibili modo, pendentibus per quinque hypocausta cortinis, separati rudia quædam cellarum simulacra decenter ac modestè incolerent, locus tamen servandis silentii legibus, & accuratæ tyronum educationi ( rebus nimirū maximi momenti ) non parùm adversabatur. Qua de causa Ichnographiâ Ecclesiæ & Monasterii ad architectonicæ artis regulas descriptâ, omnes in hanc sententiam abierunt, ut ædifici strûcta ibi inchoaretur, ubi præsentior necessitas præsentaneum remedium postulabat. Relictō igitur vacuo terræ spatiō pro Ecclesia construenda Monasterii fabrica decernitur. Quō consiliō probatō evulsa sunt rudera, ac de veteribus ruinis lapides eruti, iisque in diversos cumulos digesti, ut pro jaciendis morum fundamentis adhiberi possent. Convecta sunt plastra calce & arenā grava, effossisque terræ visceribūs omnia ad Primum Lapidem ponendum aptata fuere. Spes ad hæc aggredienda molimina in divite DEO, piorum beneficentiam movente, tantò firmitor fuit, quantò majoribūs experimentis comprobata. Nihil itaque de terrenis subsidiis solliciti Primi illi Patres curis omnibūs eò collimabant, ut inculpata vitæ conversatione Regnum DEI unicè exquireretur, & tyrones verbis ac exemplis ad capeſſendum perfectioris statūs desiderium inflammarentur, religiosisque moribūs solerter imbuerentur. Nec dubitabant, si ipsi ſedulò in studio pietatis desudarent, cætera omnia juxta Increatæ Veritatis pollicitationem ſibi cumulatissimè adjectum iri.

II. Geometricis octodecim pedibūs effossa terræ profunditas per substratas tabulas ad ima præbuit descensum: quadratus Lapis planus & æqualibūs angulis extensus disponitur, cujus superficie crucis forma, quam Sacer Ordo noster in suis insignibus præfert profundiūs insculpta, ejusque cavitati alia consimilis ærea Crux inserta fuit, cui litteris ſolum initialibūs ſequentium verborum significationes incisæ viſebantur; videlicet: Anno Domini M. DC. XC. Die xxiv. Maji Fuit Positus Iste Lapis In Constructionem Conventūs Fratrum Excalceatorum Ordinis Sanctissimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum. His ita dispositis, ejus muneric peragendi honorem Celsissimo Principi D. Ernesto e S. R. Imp. Comitibus de Trauthſon Episcopo Viennensi debitæ observantiae ergo detulimus, demissè supplicantes, ut reliquias Ordini nostro collatis beneficiis hunc quoque favorem adjicere, & Primum Lapidem ædificandi Cœnobii fundamentis imponere velit, cùm ſpe lactaremur minimè dubiâ, poſt tam gloriosum ſtructuræ principium reliquam operis molem feliciter conſurrectoram, breviq[ue] tempore ad fastigium perventuram, quod etiam propè ad miraculum ita evenit. Haud aspernatus

1690.

Habitant in  
domo 13. Re-  
ligiosi.De ædifica-  
do Cœnobio  
cogitaturFiducia in  
DEUM.Primus lapis  
ponitur.Ad primum  
Lapidem po-  
nendum invi-  
tatur Princeps  
Episcopus.

1690.

est preces nostras Episcopus, sed solita benignitate illas gratanter admisit, diemque præfixit, quâ nos suâ præfentiâ honorare, operique manum admoveare constituerat. Ea fuit feria quarta post Dominicam Sanctissimæ TRINITATIS. Quâ, ut Sua Celsitudo ad nostram domum concessit, & duabûs ante meridiem horis magna cum pietate ad ima fundamenti loca descendit, Primum Lapidem benedixit, & solito ritu collocavit. Positus est autem Lapis in fronte ferè cœnobii nostri ad plagam Orientalem, cui nunc majores gradus, per quos ad dormitorium ascenditur, incumbunt. Prius tamen, cùm certum jam & indubitatum esset, Celsissimum Principem Episcopum adventurum, suâque manu Primum Lapidem positurum, nostri in schedula quadam initiales illas litteras, quarum superius mentionem fecimus, descripsérunt eâ planè methodo, quam paulò antè Lectoris oculis subjecimus: ac deinde addiderunt, Primum hunc Lapidem a Celsissimo Principe Episcopo Viennensi positum fuisse. Hæc schedula Lapidi inserta, & ærea cruce obtecta, cum ipso Lapide fundamentis immersa fuit.

*Exordium fabrīcae de quibus lapidibus?*

*Credita nomina dissoluta, unde & major nobis fides stetit.*

*Alia subſidia,*

*Prima fundatur memoria Millæ,*

III. Sub his itaque faventibus auspiciis surrexit quotidie magis structura novi ædificii, quæ aliquamdiu illis lapidibûs continuata fuit, quos nobis donati fundi Cæsarei rudera suppeditabant. His porrò deficientibûs, cùm aliæ nobis opes nullæ suppetarent, de auxilio Sanctissimæ TRINITATIS confisi trium millium florinorum Rhenensium nomina contraximus, atque hoc ære operariis paetam mercedem quotidie persolvimus; nam cùm debita prius contracta fideliter diluissimus, major inde nobis fides apud exterorū accessit, qui cùm viderent nos in propria domo stabilitos, non dubitârunt nobis, quantumcunque vellemus, commodare. Hujus pecuniæ ope fabrica nostri monasterii strenue promota fuit. Suppetias interim quoque attulit Viennensium pietas; Ordinis siquidem ac Instituti celebritate illecta & ejusdem incrementi studiosa, præsertim cùm aliquot gentilium suorum ei jam adscriptos cerneret, alios autem propediem aggregandos sciret, larga manu nobis succurrit, suâque munificentia vires ad opus perficiendum adjecit. Enituit autem præ cæteris liberalitas Dominae Eleonoræ Francicæ piæ ac opulentæ Viduæ ex Nobilissima Lambertiōrum Comitum Stirpe oriundæ, quæ consiliis Excellētissimæ Matris nostræ Comitis Harrachiæ inducta, ut oblatam occasionem de Sanctissima TRINITATE in ejus pauperibus alumnis bene merendi in rem suam converteret, suis opibûs nostram Ecclesiam locupletavit, & pro solatio, ac remedio suo perpetuam liturgiam cum perpetuo censu fundavit. Omnium eorum principes, qui deinde hujusmodi pietatem secuti consimiles apud nos instituere memorias, atque adeò post mortem perpetua sibi suffragia, in coelesti autem Regno æterna sibi præmia comparârunt.

**CAPUT**

## C A P U T XVI.

1690.

### *Annuæ Theophoriæ celebritati Viennæ apud nostros initium datur.*

I. **N**ihil fuit antiquius & commendatum magis Ordini nostro, quām Institutionem Sanctissimi Eucharistiae Sacramenti exquisitissima solemnitate celebrare. Multò prius ante ipsam institutam anniversariam ab URBANO IV. Pontifice Festivitatem INNOCENTIUS hujus nominis Papa III. Primogeniæ illius a CHRISTO Institutionis causas eruditè non minùs quām eleganter ità exposuit : *Ut suam erga nos charitatem ostenderet, & nostram erga se charitatem accenderet, qui se dedit pro nobis in pretium, ipse tribuit se nobis in cibum; ut per pretium nos redimeret a morte, & per cibum nos aleret ad vitam, ut mortem nostram sua morte perimeret, & vitam nostram suâ vitâ nutriri.* Haecenūs Clarissimus ille Pontifex. Nos ad propositum gressus recipimus.

INNOCEN-  
TIUS III. lib.  
4. Mysteriorū  
Evangelicæ  
Legis.

II. Dominica dies erat, quæ Octavam Corporis CHRISTI exceperit, eoque anno in quartam mensis Junii incidit. Hac itaque die, Sole jam ad occasum declinante, atque adeò immodicis caloribus valde jam imminutis e nostra Viennensi Ecclesia prodivit prima Theophoriæ Supplicatio humili quidem, sed devotâ magis pompâ cum sola nostra religiosa Communitate paucis adhuc e plebe ac civibus præcedentibus, aut sequentibus, Hierothecam ferente Reverendissimô Dominô Gregoriô Mellicensi Abbe Or- dinis S. Benedicti. Sequentibus autem temporibus postquam hæc annua devotio multitudini semper magis innotuisset, ut est gens Austriaca Principum suorum exemplō huic Mysterio colendo de- ditissima, ità crevit nobilium & civium confluxus, ut eâ recurrente die fidelium utriusque sexus, omnis conditionis & ordinis multitudinem plateæ vix capiant. Peragitur nunc anniversariè ut summâ frequentiâ, ità quoque cultu longè splendidissimo, ac- cito quotannis mitrato Præsule, qui pontificalibus insignibus or- natus Hierothecam per vicum ad quatuor ad hunc finem erecta altaria inter insignes phonascorum concentus & reclangentium tubarum festivos applausus defert, Nobilibus in hac sacra pompa Adolescentibus ex vicina Academia Statuum Inferioris Austriæ umbellam sustentantibus. Hos præcedunt ac sequuntur plurimi omnis sexus, statu, & conditionis homines cereas faces mani- bus gestantes, & devotissimo comitatu Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum circumducentes. Paucis: quidquid in nostro cœ- nobio elegans, aut pretiosum reperitur, totum ad augendum hujus solemnitatis splendorem, & promovendam fidelium devo- tionem tali die profertur; Hoc enim Divinissimum Mysterium est fons omnis Benedictionis, & totius futuræ nostræ felicitatis scaturigo.

Dominica  
post Octavam  
Corporis  
CHRISTI an-  
niversaria so-  
lemnitas in-  
cepit.

Majore nunc  
solemnitate  
peragitur.

1690.

## C A P U T XVII.

*Brevis hodiernæ Urbis Viennensis Descriptio.*

*Et Corollarium, in quo discutitur, utrum Ordo  
Sanctissimæ TRINITATIS in his Regionibus  
proprias aliquando domos, fixasque  
sedes obtinuerit.*

Propositum  
narrationis.

I. **P**ro coronide hujus primi Libri, quamvis ad sequentium temporum narrationem pruriens jam calamus avidè festinet, operæ pretium, nec eruditio Lectori ingratum fore putavi, si Topographicam aliquam descriptionem Urbis Viennensis subjecero, ejusque modernam faciem succinctō stylō delineavero. Succinctō dixi; quod si enim omnia amplissimæ hujus Urbis ornamenta fusiùs aliquantò referre constituisse, finem nullum scribendi invenirem, & fortassis Lectori meo bilem moverem, quod in rebus vulgatissimis recensendis ejus patientiā abuti præsumpsérím. Dabo proinde operam, ut celebriora duntaxat cursim perstringam, ne quis supervacanei laboris me jure insimulare queat. Non ego autem istud nunc ago, ut fastidiosa disquisitio ne vetustissima hujus Urbis vocabula investigem, eaque velut ex suis ruderibus producam; sive enim illa Vindobonæ, sive Julibonæ, sive Viannæ, sive Flavianæ nomen habuerit, id equidem minimè moror, qui ex eis vetustatis monumentis elucidandis, aut postdiluvianis fabulis confutandis animum non addixi. Mihi satis est, Urbem, cujus nunc descriptionem aggredior, Viennam vocari.

Urbis præ-  
gativer.

II. Vienna igitur, Urbs illa in toto orbe decantatissima, Inferioris Austriæ Metropolis, plurium Cæsarum natale solum & Sedes, Europæ Emporium, ac totius Christianitatis adversus Fidei hostes munitissimum Antemurale vasta mole propter ripas Danubii latæ planitiei infidet. Aëris in hoc loco salubritas, situsque amoenitas tanta est, ut vix habeat, quod aliis oppidis invideat. Omnium rerum affluentia ob præterfluentis Istri commodissimam navigationem non tantum ad necessitatem, verum etiam ad delicias uberrimè gaudet. Templorum cultu, ædium splendore, populorum multitudine, si non omnes Europæ Urbes supereret, nulli certè admodum cedit. Hæc est denique Germanici Imperii Roma, & nova Carthago, sita sub temperato cœli climate, quod ab Äquatore recedit ad quadragesimum octavum Latitudinis gradum, adjectis duobus & viginti minutis: Longitudinis vero quadragesimum gradum tangit.

Alter ortus  
urbis a Sancto  
Leopoldo.

III. Floruit quidem olim sub variis nominibus Vienna, sed post concussum Gothorum manu Romanum Imperium, hæc ipsa quoque civitas eandem fortunam experta est ab Hunnis, Avaris, aliisque barbaris gentibus, donec post plura sæcula Sextus Austriæ

Mar-

Marchio Sanctus nimirum Leopoldus, cognomento Pius, illam resuscitasset. Parta namque post debellatos hostes alta pace, ac securitate Sanctissimus hic Princeps circa initium duodecimi saeculi, cum locum hunc densis undique nemoribus obsitum, adeoque venationi aptissimum cerneret, varia imprimis excitavit turgiola in usum venatorum, quatenus ferarum recessus & latibula sagaciis explorarent. His non multò post nobiliorem addidit domum, in quam ipse subinde a venationibus se reciperet, quae a circumstantibus betulis Virchhoff dicta, & successu temporum in palatium Principum Estorasiorum conversa fuit, ut domus illius inscriptio docet, & Sacellum in ea Divo Leopoldo consecratum rem magis confirmat. Post obitum S. Leopoldi filius ejus Henricus hujus nominis II. silvâ latius excisâ, splendidiorem ædem extruxit, eamque desertâ Cetii montis arce cum tota sua aula constanter incoluit, quæ post varias rerum vicissitudines Principibus ex alia in aliam urbis partem demigrantibus Patribus Carmelitis cessit, demum Patres Societatis JESU ejus possessionem adierunt, qui illam in Domum Professam converterunt, hac etiam nostra ætate nomen adhuc ab Aula retinentem. Principis exemplum subditi ejus certatim secuti, cœpere & ipsi in hoc loco domicilia condere, agros ferere, vineas colere, ita ut locus iste ante desertus brevi in justæ civitatis speciem coaluerit, quæ Vienæ nomen a præterlabente ejus nominis fluviolo, velut olim a Vindone Vindobona mutuavit. Leopoldus VI. ejus nominis Austriae Dux cognomento Virtuosus circa annum CHRISTI millesimum centesimum nonagesimum secundum quædam addidit ædificia, construxit mœnia, eaque variis superimpositis illius saeculi more parili distantiâ a se invicem recedentibus turribus, portisque distinxit, quarum una etiamnum firmissimi operis in urbe conspicitur, quæ Altum Pontem transeuntibus occurrit. Ex supradictis autem turribus adhuc nonnullæ extant circa Rubram, ut vocant, portam procera mole turgentem. Quamvis ne his quidem angustiis urbs diu acquieverit; confluentibus siquidem indies pluribus incolis, plura etiam surrexerunt ædificia, quibus sensim multiplicatis tandem in illam excrevit amplitudinem, quam hodie in ea miramur.

IV. Hæc urbs ad terrorem & invidiam hostium est munitissima, cujus peripheria licet in se non sit admodum magna, si aliarum urbium magnitudini conferatur, maxima tamen censi potest, si Præsidium spectetur, cui in orbe vix aliud par reperitur. Suburbia ad teli jactum inde remota magnis æquiparantur civitatibus, subalternis divisa tribunalibus, nunc quoque post ultimi belli motus ab anno hujus saeculi quarto ad militaris Architecturæ leges vallis, fossis, aggeribus & parmulis circumdata, rudio re imprimis quidem opere, nunc autem latius egesta humo faxis & coctis lateribus vestiuntur. Portæ undique sublicio & pensili ponte instructæ accessum præbent. Quâ Orientem respicit, Danubius streperis undis præterfluens eam naturali munimentô cingit. Quid ego nunc memorem populi multitudinem? Ea sane

1690.

Domus S.  
Leopoldi nunc  
est palatum  
Principis E.  
storasi.

Aula prius  
PP. Carmelia  
tarum nunc  
Domus Pro-  
fessa Soc. J.

Augetur ci-  
būs.

Unde dicta?

Portis & tur-  
ribus muni-  
tur.

Munitissi-  
mum  
nunc Præ-  
sidium.

Suburbia tota  
magno civi-  
tates.

Possæ, portæ,  
& pontes.

Danubius  
eandem mu-  
nit.  
Populi multi-  
tudo anno  
1713.

1690.

tanta est, ut anno hujus saeculi decimo tertio, singulorum capitum per paroecias censu inito, reperta sint decies octies centena & quinquaginta hominum millia Viennam inhabitasse. Eidem urbi nonnullis interiectis agris, vineisque in hortorum speciem excultis multa adhaerent se mutuo complectentia oppida, novam quamdam suburbiorum faciem referentia. Duobus superioribus saeculis binis vicibus anno videlicet 1529. ab Solimano, & 1683. aetate nostra a Mahometo Turcarum Tyrannis validissimo exercitu oppugnata, Superum praesertim tutelâ & Ducum strenuitate rabidos hostium insultus invicta fortitudine semper elusit, & repressit: novis nunc autem propugnaculis & munitionibus audita spem facit uberiorem cujuscunque hostilis impressionis retundendæ, cor, scutum, & clypeus Romani Imperii.

Archi-Episcopali Sede ordinatur.

V. In Ecclesiastica etiam Hierarchia, his nostris temporibus singulare decus obtinuit operâ & studiô Augustissimi CAROLI VI. Romanorum Imperatoris, quando anno hujus saeculi tertio & vigesimo Metropolitana Sede fuit exornata, ideoque INNOCENTIUS XIII. Pontifex Maximus Celsissimo Principi Dom. Sigismundo e Comitibus Kollonicziis Archi-Præsulum primo solemne Pallium concessit, cui postmodum etiam Romanam Purpuram adjecit. Viginti septem in hac urbe numerantur Temples, in quibus eminent Metropolitana S. Stephani Proto - Martyris Basilica cum altissima turri opere Gothicâ de sectis lapidibus a veteribus Austræ Ducibus spectabiliter constructa, loci sanctitate non minus quam antiquitate celebris. Praeter domos Equestrium Ordinum unâ Teutonicorum, alterâ Melitensium tredecim numerantur Religiosorum collegia, Sanctimonialium septem, & plusquam triginta minores Ecclesiæ sive publica Sacella. In suburbis verò viginti quatuor maiores Ecclesiæ lœtissimam faciem ostentant, quarum duodecim coetus Regularium possident, duæ Sanctimonialium usui inserviunt; minores aliæ Ecclesiæ sedecim reperiuntur, ut jam nihil loquar de aliis sacerdotiis, in quibus viget pietatis cultus & frequentia.

Cencilium  
Viennense  
Anno 1267.

Episcopi re-  
censentur.

Universitas.

VI. Annō Domini millesimō ducentesimō sexagesimō septimō sedente in Apostolicæ Sedis cathedra Clemente IV. sexto Idū Maji Fr. Guido anteâ Cisterciensis Ordinis Prior Generalis, tunc verò Cardinalis Presbyter tituli S. Laurentii in Lucina Viennam huc ab eodem Summo Pontifice cum plena potestate missus, Sedis Apostolicæ Legatus ad reformandos Cleri populique mores Concilium celebravit: cui interfuerē Joannes Pragensis, Petrus Pataviensis, Conradus Frisingensis, Leo Ratisbonensis, Bruno Brixienensis, Amalaricus Lavantinus Episcopi, multique Abbates, Præpositi, Archi-Diaconi & Decani. Saluberrima porrò hujus Concilii Statuta in omnibus ferè conciliorum collectionibus reperiuntur.

VII. Porrò si bonarum litterarum amore tenearis, vix alibi tuo affectui magis satisfacies, quam in hac regia Urbe; hic namque invenies celeberrimum Lyceum, scientiarum Universitatem, sacratori Minervæ dedicatas Athenas. Fridericus II. Romanorum

Ima

Bis a Turcis  
frustra obse-  
sa.

Tempora ma-  
jora & Eccle-  
siæ.

Imperator Viennæ ad annum millesimum ducentesimum trigesimum septimum scholas primus aperuisse memoratur, quas deinde Albertus II. Austriæ Dux anno ejusdem saeculi nonagesimo sexto confirmavit, donec eas tandem Rudolphus IV. & Albertus III. Austriæ Duces accedente Urbani VI. Pontificis consensu & Diplomate in Academiam erexissent, Legibüs & Statutis e Parisiensi Universitate inductis. Scientiarum facultates hic quatuor omnino florent, nempe Philosophica, Medica, Juridica, & Theologica, quarum singulæ quatuor Nationes complectuntur; Austriae nimis, Rhenanam, Hungaricam & Saxonicam: cui libet earum ex Alberti III. Archi-Ducis Austriae partitione plures Nationes sunt adjunctæ; Austriae videlicet omnes quotquot ex Styria, Carinthia, Carniola, Tyroli, Istria, Foro Julio & Italia sunt oriundi. Ad Rhenanam Nationem pertinent cis & trans Rhenani, item Bavari, Suevi, Alsati, Francones, Hassi, Galli, Aragonii, Hispani & Belgæ. Hungaricæ Nationi accensentur Bohemi, Poloni, Silesii, Moravi & Slavi. Saxonice tribuuntur omnes Westphali, Frislandi, Thuringi, Misnenses, Brandenburgenses, Prussi, Livones, Lusatienses, Pomerani, cæterique populi transmarini Angli, Scotti, Hiberni, Sueci, Dani & Norwegi. Singulari harum Nationum ab anno 1427. peculiares coelites sibi in Patronos adsciverunt, quos etiam in Metropolitana Basilica S. Stephani Proto - Martyris quotannis Latina Panegyri & solemnissimæ Sacrificiæ religiosissimè venerantur: Austriae quidem S. Leopoldum Marchionem Austriae. Rhenana S. Ursulam Virginem & Martyrem cum sociabus. Hungarica S. Ladislaum Regem Hungariæ. Saxonica S. Mauritium cum Thebæa Legione Martyres colit. Idem non minori pietate observant quatuor facultates hujus celeberrimæ Universitatis: Theologica siquidem non dispariter veneratur S. Joannem Evangelistam, Philosophica S. Catharinam Virginem & Martyrem, Medica SS. Cosmam & Damianum Medicos & Martyres. Juridica S. Ivonem Presbyterum Advocatorum Patronum. Ex publicis Sacræ Theologiæ Professoribus primas obtinet Doctor ex Ordine Prædicatorum, alii autem septem sunt e Societate JESU. Præter istos alias quoque ex Ordine Eremitarum S. Augustini peculiarem Cathedram habet, in qua Sacros Canones interpretatur. Juridica Scientia a quatuor hujus Facultatis Doctoribus traditur, Medicinam & Philosophiam octo Magistri docent; præter quos alii plures sunt e societate JESU, qui Grammaticam, Poësim, Eloquentiam, Geographiam, Historiam, Mathematicam, linguas Græcam & Hebraicam explicant. Omnes largis dotati stipendiis. Unus universis præstet Gymnasiarcha sub Rectoris Magnifici nomine, aurea veste hermellinis pellibus suffulta, epomide & pileo in publicis functionibus insignitus; cuius dignitas primò semestris erat, nunc autem in annum extenditur. Perpetuus Universitatis Cancellarius a limine fundationis est Cathedralis Ecclesiae S. Stephani Præpositus. Quatuor etiam pro totidem Facultatibus quotannis eliguntur Decani. Universitas multis & magnis gaudet Privilegiis, quæ partim a Summis Pon-

4. Facultates.

4. Nationes.

S. Patronus  
etique Na-  
tioni & Fa-  
ultati.

Professores.

Magistratus.

Privilegia.

1690. Pontificibus, partim ab Imperatoribus, Austriæ Principibus accepit, qualia sunt potestas ligandi & solvendi ab excommunicationibus, creandi Magistros & Doctores, Leges statuendi, & Jus ad S. Stephani Cathedralem Canonicos nominandi. Quibus pro colophone accedit Jus gladii & asyli.

*Aliæ Scholas  
in Domo Professæ.  
Apud  
PP. Benedictinos. Scho-  
larum Piarum  
Gymnasium.*

VIII. His accenseri possunt classes Latinæ Grammaticæ in Domo Professa ejusdem Societatis JESU. Ipsí quoque Patres Benedictini, apud Scotos cognominati, juxta vetus & laudabile sui Ordinis Institutum erudiendæ Juventuti utilem impendunt operam; nam præter classes Grammaticæ etiam Poësim & Rheticam, Philosophiam & Theologiam explicant. In suburbio reperitur Gymnasium PP. Scholarum Piarum, qui prima literarum elementa adolescentibus tradunt, eosque legere ac scribere docent, Arithmeticā quoque arte in omni negotio necessaria, imbuunt, insuper Grammaticam, Poësim & Rheticam copioso studentium numero addiscendam proponunt.

*Academia  
Nobilium.*

IX. Prætereà in suburbio alia Academia haud procul a nostro Cœnobio in loco per amoenō reperitur, in qua Nobiles juvenes educantur. Habet hæc Academia doctissimos Professores Philosophiæ, Historiæ universalis, particularis, & moralis, Politicæ, Juris publici, civilis & municipalis, item Architecturæ civilis & militaris. Docetur hic quoque ars gladiatoria, saltatoria, equitatoria; item idiomata Gallicum & Italicum. Hoc pactō egregiè consulitur in patria nobilibus adolescentibus, eisque necessitas tollitur bonarum artium causâ longinquas provincias adeundi, utpote, qui domi cumulatissimè inveniunt, quod sèpè apud exterorū frustra quæsivissent. Hæc Academia cum augusto hippodromo a Statibus inferioris Austriæ magno quidem sumptu, sed majore emolumento excitata fuit anno millesimô sexcentesimô octogesimô nono, & anno ejusdem saeculi nonagesimô quartô ad perfectiōnem & usum redacta ab Augustissimo LEOPOLDO I. Romanorum Imperatore in tutelam suscipi meruit.

*Academie  
Pictorum,  
Statuariorum,  
Architecturæ  
militaris.*

*Musorum.*

X. Occurrunt prætereà in hac urbe plures aliæ Academiæ, utputa Pictorum & Statuariorum ab Augustissimo JOSEPHO I. Imperatore anno millesimô septingentesimô quintô inductæ, Quibus Augustissimus CAROLUS VI. Cæsar bonarum artium Fautor & Assertor alteram addidit, militaris scilicet Architecturæ, unde exercitatissimi prodiere Magistri, a quibus belli pacisque tempore tum in Praesidiis, tum in castris plurima in Rempublicam commoda resultant. Ad extreum hac nostra quoque ætate instituta fuit Academia Musicorum anno nimirùm hujus saeculi vigesimô octavô.

XI. Sed ne longius evagari cogar, silentiō prætermitto alia studiorum collegia, Palladia tum publica, tum privata; patentes ad Litteratorum usum Bibliothecas, inter quas eminet Cæsarea Vindobonensis non tantum structuræ magnificentiâ, sed etiam numerô & raritate librorum instructissima, quæ cum nobilissimis totius Europæ Bibliothecis de palma contendit. Inscriptionem illius, cùm mihi nunc opportunè ad manus venerit, huic loco subjungere libuit. Ecce illam!

*Alia discen-  
tium collegia  
non referun-  
tur.*

CA-

CAROLVS. AVSTRIVS. D. LEOPOLDI. AVG. 1690.  
F. AVG. ROM. IMP. P. P. BELLO. VBIQVE.  
CONFECTO. INSTAVRANDIS. FOVENDIS.  
QVE. LITERIS AVITAM. BIBLIOTHECAM.  
INGENTI. LIBRORVM. COPIA. AVCTAM.  
AMPLIS. EXSTRVCTIS. AEDIBVS. PVBLICO.  
COMMODO. PATERE IVSSIT.  
**CICCCXXVI.**

Nec recenseo Sanctorum Lipsana, pretiosorum cimeliorum conditoria, naturæ & artis miracula, aurearum telarum manufacturas, Indicæ terræ, quam porcellanam vocant, murrhino opere variegatæ fabricam, ubi pateræ & diversi generis vasa encaulitica arte ad miraculum piæta conficiuntur: quidquid demùm in variis mundi plagis miramur, hic collectum cernitur, quæ simul, jundimque spectata efficiunt, ut urbs ita sit breve quoddam totius orbis compendium.

XI. Sed neque illud decus silentiō est involvendum, quod urbs tota, dum nox in cognatas vertitur tenebras, mille septingentis & quinque lampadibūs per omnes vicos & plateas æquā distantia dispositis ad æmulationem diei illuminetur. Opus istud, sicut olim, anno nimirū superioris sæculi octogesimō octavō a Comite Jægero urbis gubernatore sapientissimè fuit institutum, ita diligenti continuatione propagatur. Quamvis autem lampadum istarum nutrimentum ingentes sumptus exhauriat, hitamen tolerabiles videntur, quod hōc pactō majori urbis commodo & incolarum securitati provisum maneat, dum tot ignes tenebriōnum indices & observatores per vigilant ac præludent. Præterea in biviis per compita magnō numerō dispositi sunt nocturni excubitores, qui ad omnem motum præstō sunt, & plures ingruente necessitate certis quibūdam signis convocare possunt: unde rariores hic eveniunt tumultuantum concursationes, nocturnæ molestiæ, aut rixæ. Sed receptui tandem canere libet; non enim mihi propositum est omnia urbis hujus decora prosequi; quæ si quis pro dignitate recensere velit, plura volumina compleat, necessè est. Mihi sufficit minimam eorum partem primoribus, ut ajunt, labris attigisse.

Nocturnæ  
lampades, &  
carum utili-  
tas.

## C O R O L L A R I U M.

Converto nunc ad secundam hujus Capitis partem, in qua juxta promissum meum elucidare constitui, utrum nimirū Ordo Trinitarius, ut nonnulli Historiarum Scriptores disertè affirmant, in his provinciis, quas nunc penetravit, fixa aliquando domicilia obtinuerit? Paradoxon id nobis aliquando fuit, nec alia de causa credebatur, quam ob auctoritatem Scriptorum istud præfracte asseverantium, aliósque in eandem opinionem

An ordo Tri-  
nitarius in  
his terris un-  
quam florus-  
erit?

1690. torrentis instar post se abripientium. Quamobrem, cùm tota hujus assertionis fides ex sola authorum traditione penderet, non perfundatoria instituta est hujus rei gratiâ inquisitio, an præter nudam auctoritatem illam reperiri possent aliqua ejusdem rei certiora indicia. Sed adhibito omni conatu, indagine & solertiâ ab iisdem, qui libenter hoc decus Ordini afferuissent. nullum tamen in vetustis patriæ monumentis, & synchronis tabulis hujusmodi rei vel obscurum inveniri potuit indicium; cùm tamen de cæteris religiosis Ordinibus, qui unquam in his regionibus vel tenuiter floruerant, indubitata extenta documenta: adeò, ut etiam de Templariorum equitum coloniis, quorum Ordo plusquām ducentis annis ante Lutheri exortam sedam in Viennensi Concilio extinctus fuerat, multis in locis supersint testimonia, & fama intemerata etiamnum perseveret. Ergóne per Superū hominumque fidem! unus Ordo Trinitarius Redemptionis captivorum tam calamitosam sortem subivit, ut de eo in regnorum archivis & Scriptorum patriæ commentariis nullum reperiri queat vestigium? Omni ætate gentes illæ suos habuerunt accuratos Historiographos, qui minima quæque, ut palam est, solicite anno-taverunt; neque tamen ullus ex antiquis, aut ex recentioribus inventus fuit, qui simile quid scripsisset, aut cui res talis in mente saltem venisset. Reliquorum Ordinum Religiosi olim Hussitarum rabie suis e coenobiis pulsi in vicinas regiones, ubi Catholica Fides sarta testaque persistit, commigraverunt, novas duxerunt colonias, & constanti famâ per ora hominum semper volitaverunt, quinimò depulsa persecutionum tempestate amissa monasteria postliminiò recuperaverunt. Ast Trinitarius Ordo nostro quò tandem demigraverit, minimè gentium constat. Constat autem, si antiquitus unicam saltem ex his provinciis incoluisse. Bonfinius, Turocius, Istuanus in rebus Hungaricis de aliis affatim Ordinibus, nihil de nostro memorant. Sczentivanus diligens rerum patriarcharum inquisitor docet diserte Ordinem nostrum prius nunquam in Hungaria floruisse. Idem de cæteris Regionibus Septentrionalibus, si Angliam, Scotiam & Hiberniam excipias, sentiet æquus rerum arbiter.

*In dissertatione Paralipomenica rerum memorabilium Hungariae Parte 1. De Gradis 3. Catalogo 80. num. 33.*

